

gratiæ sacramentales non sunt connexæ, sicut virtutes et dona? — Dicitur ad hoc, quod non est simile. Quia virtutes et dona fluunt a gratia gratum faciente sicut a causa totali, in genere causæ efficientis causatae; quæ quidem, cum efficiat quidquid efficit immediate mere naturaliter, et habeat semper passum ejusdem rationis, ideo semper efficit eadem dona Spiritus Sancti, et eosdem habitus virtutum. Sed gratia gratum faciens non est totale productivum gratiarum sacramentalium, immo ad hoc concurrunt effective (x) sacramenta; et quia sacramenta sunt diversa, et non connexa, ideo a gratia gratum faciente non simul producuntur omnes gratiae sacramentales, sed modo una cum baptismo, modo alia in poenitentia, modo alia in confirmatione, et sic de cæteris.

Et hæc sufficient ad argumenta contra quartam conclusionem.

Ad argumentum pro quæstione, patet quid dicendum ex allegatis in probatione secundæ conclusio- nis: quia scilicet Apostoli nunquam servaverunt secundum veritatem legalia, post perfectam publicationem Evangelii et revocationis legalium.

Et hæc de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus, omne per ævum. Amen.

DISTINCTIONE IV.

QUESTIO I.

UTRUM BAPTISMUS CHARACTEREM ALIQUEM IMPRIMAT
IN ANIMA

SIRCA quartam distinctionem 4. *Sententiuarum*, queritur: Utrum baptismus imprimat aliquem characterem in anima. Et arguitur quod non. Quia, ut dicit Philosophus, 2. *Ethicorum* (cap. 5), omne quod est in anima, vel est potentia, vel habitus, vel passio. Sed character non est potentia: quia potentiae omnibus hominibus communes sunt, character autem non, cum sit signum distinctivum, sicut ipsum nomen ostendit; et præterea, potentiae sunt a natura, non autem character. Nec iterum est passio: quia passiones animæ contingunt cum aliqua transmutatione corporali, ut dicitur, 1. *de Anima* (t. c. 14); et pertinent ad sensitivam partem, ut dicitur in 7. *Physicorum* (t. c. 19). Nec iterum est habitus; quia habitus ordinatur ad agendum, ut patet per

diffinitionem Augustini (*de Bono conjugali*, cap. 21): *Habitus est quo quis agit, cum tempus fuerit.* Ergo character non est aliquid in anima. Et sic baptismus nullum characterem imprimit in anima.

In oppositum arguitur. Quia Damascenus (*de Fid. Ort.*, lib. 4, cap. 9; et *Sac. Parall.*, litt. B, tit. 4) in diffinitione baptismi ponit sigillum. Sed sigillum impressum in aliquo est character quidam. Ergo in baptismo imprimitur character.

In hæc quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: *Quod aliqua sacramenta novæ legis imprimit characterem.*

Hanc conclusionem ponit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 1, ubi sic dicit: « Characterem imprimi in aliis, omnes moderni confitentur; sed in modo poneendi ipsum in anima, partim differunt, et partim convenient. Convenient quidem in hoc quod omnes dicunt per characterem importari triplicem relationem. Est enim character signum distinctivum et configurativum. In quantum ergo est signum, importat relationem ad id quod significat; in quantum autem est distinctivum, importat relationem ad ea a quibus distinguit; in quantum autem est configurativum, importat relationem ad ea quibus assimilat. Differunt tamen in hoc, quia quidam ponunt istis relationibus non subesse aliquod accidens absolutum, sed immediate in anima fundari istas relationes. Hoc autem esse non potest: Quia signum per formam quam sensibus ingerit, vel intellectui imprimit, facit aliud in cognitionem venire. Similiter etiam nihil distinguitur ab alio, nisi per aliquam formam. Similitudo etiam relatio est, super unitate qualitatis fundata, ut dicitur 5. *Metaphysicæ* (t. c. 20). Unde patet quod quilibet illarum relationum quas importat character, requirit aliam formam substratam; et, cum non sit forma substantialis, quia forma substantialis in sacramentis non datur, relinquitur quod forma substrata sit qualitas quedam, cuius unitas consignificationis similitudinem (x) facit. Et ideo quidam dicunt quod non est in aliqua quatuor specierum qualitatis, et tamen est in genere qualitatis, innuentes illi verbo Philosophi, in *Prædicamentis*.

(x) *effectiva. — effectiva Pr.*

(x) *similitudinem. — similem Pr.*

(tract. 2, cap. 4) : *Fortasse, inquit, alii apparetur qualitatis modi.* Sed haec est fuga quaedam : quia, quamvis sint alii modi qualitatis, tamen omnes reducuntur ad has species; quod patet ex hoc quod nulla alia species inveniri adhuc potuit. Et ideo dicunt alii, quod est in quarta specie qualitatis : quia ipsa configuratio quam character suo nomine exprimit, importat unitatem figuræ, quæ est in quarta specie qualitatis. Et quidam dicunt hanc figuram esse crux Christi. Sed hoc non potest stare. Quia aut figura proprie accipitur; et sic importat terminationem qualitatis dimensionis, quam constat in anima non esse. Si autem metaphorice dicatur, tunc oportet quod metaphora reducatur ad aliquam proprietatem : quia res non ponitur in genere per id quod de ea metaphorice dicitur; sicut non dicitur quod Apostoli sint in genere qualitatis, quia eis dictum est, Matth. 5 (v. 14) : *Vos estis lux mundi.* Nec poterit aliquid in quarta specie qualitatis inveniri, quod sit in anima secundum proprietatem. Unde character, de quo loquimur, non potest fundari supra qualitatem quartæ speciei. Et ideo quidam dicunt quod est in tertia specie, eo quod sensui spirituali infert quamdam mulcebrein passionem, inquantum animam ornat et decorat. Sed hoc iterum stare non potest. Quia sicut probat Philosophus, in 7. *Physicorum* (t. c. 14, etc.), tertia species qualitatis non est nisi in sensibili parte animæ; character autem a nullo ponitur in hac parte animæ, sed in intellectiva. Et præterea, illæ qualitates semper habent ordinem ad aliquam transmutationem corporalem, vel quam inferunt, vel a qua causantur. Et ideo alii dicunt quod est in prima specie qualitatis, et est quasi media inter dispositionem et habitum: inquantum enim est difficile mobilis, convenit cum habitu; inquantum autem non est ultima perfectio, sed ad gratiam disponit, cum dispositione convenit. Sed hoc non potest stare. Quia, secundum Philosophum, in 2. *Ethicorum* (cap. 5), habitus est quo habemus nos ad passiones bene vel male. Et universaliter consideranti, haec apparet differentia inter habitum et potentiam, quia potentia est qua possumus aliquid, sed habitus est quo possumus illud bene vel male: sicut intellectus est quo consideramus, scientia qua bene consideramus; concupisibilis est qua concupiscimus, temperantia qua bene concupiscimus, intemperantia qua male. Similiter est de dispositione: quia dispositio nihil aliud est quam quidam habitus incompletus. Cum ergo character ordinetur ad aliquid simpliciter, et non ad illud bene vel male (quia sacerdos potest configere bene et male), non potest esse quod qualitas super quam fundatur characteris relatio, sit habitus, sed magis potentia. Unde relinquitur quod non sit in prima specie qualitatis; sed magis reducitur ad secundam, ut quidam alii dicunt. Et hoc sic patet: sicut enim

cujuslibet existentis in aliqua natura, sunt aliquæ operationes propriæ; ita etiam est in spirituali vita regenerati, ut dicit Dionysius, in secundo capitulo *Ecclesiastice Hierarchie*. Ubicumque autem sunt operationes propriæ, oportet quod sint propria principia illarum operationum. Unde, sicut in aliis rebus sunt potentiae naturales ad proprias operationes, ita etiam renati in vitam spiritualem habent quasdam potentias, secundum quas possunt illa opera. Quæ potentiae sunt similes illis virtutibus quibus sacramenta efficaciam habent sibi inditam: quia, sicut sacramenta causant gratiam instrumentaliter, ita recipientes characterem operantur divina per ministerium; minister autem est sicut instrumentum ejus cuius ministrat; unde dicit Philosophus in 8. *Ethicorum* (cap. 11), quod servus est organum animatum; et ideo tam virtus sacramenti quam ministri, quæ est character, erit instrumentalis. Et quod hujusmodi potentia sit character, patet, si quis diligenter considerat verba Dionysii, a quo primo traditio characteris nobis advenit. Assignans enim mysterium ritus ejusdem qui in primitiva Ecclesia observabatur, quando adulti baptizabantur, dicit quod, accedenti ad baptismum, Hierarcha, id est, Pontifex, manum imponebat, et signabat eum signo crucis, et precipiebat eum describi inter nomina Christianorum, ut de cetero ad divina eum aliis admitteretur. Dicit enim (*de Eccl. Hierarch.*, cap. 2) quod sic accedentem, scilicet ad vitam spiritualem, *divina beatitudo ad suipius participationem recipit*, scilicet sacerdos baptizandum, et de proprio lumine, quasi quodam signo, ipsi tradit, scilicet sui participationem, perficiens, eum sicut divinum et communicantem divinorum, etc. Patet ergo quod ipse per hoc signum non aliud intendit quam illud quod facit eum participativum divinarum operationum. Unde hoc signum nil aliud est quam quedam potentia, qua potest in actiones hierarchicas, quæ sunt ministrations et receptiones sacramentorum, et aliorum quæ ad fideles pertinent. Et ad hoc quod has operationes bene exerceat, indiget habitu gratiae, sicut et aliae potentiae habitibus indigent. » — Haec ille,

Eamdem conclusionem ponit, 3 p., q. 63, art. 1 et 2. Nam, primo articulo, ostendit quod sacramenta imprimant characterem in anima, sic dicens: « Sacra menta novie legis ad duo ordinantur: scilicet ad remedium contrâ peccatum, et ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum ritum vitæ christianæ. Quicumque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud (α) consignari; sicut milites, qui ascribentur ad militem antiquitus, solebant aliquibus characteribus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporeale. Et ideo, cum homines per sacramenta depu-

(α) illud. — aliud Pr.

tentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, conveniens est quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur. Unde Augustinus dicit, 2. *Contra Parmenianum* (cap. 13): *Si militiae characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam Imperatoris confugerit, ac preec fusa, et venia impetrata, militare jam cœperit, numquid, homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus hærent (2) sacramenta christiana quam (3) corporalis hæc nota?* — Hæc ille.

Ibidem etiam (arg. Sed contra) arguit sic: « Dicit enim, inquit, Apostolus, 2. *Corinth.* 1 (v. 21 et 22): *Qui unxit nos, Deus est, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Sed nihil aliud importat character quam quandam signationem.* Ergo Deus per sacramenta suum nobis characterem imprimit. » — Hæc ille.

Item, art. 2, probat quod character sit potestas spiritualis: « *Sacramenta, inquit, novæ legis characterem imprimum, inquantum per ea deputantur ad cultum divinum secundum ritum christiane religionis.* Unde Dionysius, cap. 2. *Ecclesiastice Hierarchiæ*, cum dixisset quod *Deus quodam signo tradit sui participationem accedenti*, subjungit: *Perficiens eum divinum et communicatorem divinorum.* Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quedam potentia: nam ad tradendum aliis requiritur potentia activa; ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quamdam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea que sunt divini cultus. Sciendum tamen quod hæc potentia spiritualis est instrumentalis, sicut virtus que est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem competit ministris Dei; minister autem operatur et se habet per modum instrumenti, ut dicit Philosophus, 1. *Politicae* (cap. 3). Et ideo, sicut virtus que est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens incompletum; ita etiam character non proprio est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis. » — Hæc ille.

Ex quibus possunt elici duas rationes. — Prima, ad probandum quod in sacramentis novæ legis imprimitur character. Quæ talis est: Quicumque ad spiritualem militiam et ad spiritualem cultum deputatur, debet peraliquod spiritualesignari, et per spiritualem characterem consignari. Sed per susceptionem sacramentorum novæ legis homo deputatur ad spiritualem militiam et cultum Dei. Ergo, etc. — Secunda est ad probandum quod character sit

potentia spiritualis. Et est talis: Quicumque deputatur ad recipiendum vel tradendum divina mysteria, accipit potentiam spiritualem, activam vel passivam, per quam distinguitur a non habentibus, et configuratur habentibus. Sed recipiens characterem est hujusmodi. Ergo, etc.

Secunda conclusio est quod character est subjective in potentia animæ, et non immediate in essentia.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 63, art. 4, ubi sic dicit: « Character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum vel tradendum aliis ea que sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem propriæ ordinantur potentiae animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subjecto in essentia animæ, sed in ejus potentia. » — Hæc ille.

Item, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 3, in solutione primæ quæstiunculae, sic dicit: « Natura proportionaliter spiritualitati substernitur, sicut perceptibile perfectioni. Unde, sicut gratia, que est spiritualis vita principium, est in essentia animæ sicut in subjecto; ita etiam character, qui est spiritualis potentia, est sicut in subjecto in naturali potentia animæ, et non in essentia animæ, ut quidam dicunt, nisi mediante potentia animæ. » — Hæc ille.

Item, ibidem (arg. Sed contra), arguit sic: « Character configurat trinitatem creatam. Trinitati in creatæ, ut patet per quamdam dissinitionem magistralem, quæ talis est: *Character est distinctio a charactere æterno impressa animæ rationali secundum imaginem (2), consignans trinitatem creatam Trinitati creanti et recreanti, et distinguens a non configuratis secundum statum fidei.* Sed trinitas creata consistit in potentiis, sicut unitas in essentia. Ergo character non est subjective in essentia animæ, sed in potentiis. » — Hæc ille.

Ex quibus possunt formari multæ rationes pro conclusione, ut patet.

Tertia conclusio est quod character est subjective in potentia intellectiva.

Hanc ponit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 4, q. 1, art. 3), in solutione tertiae quæstiunculae, ubi sic dicit: « Imago principaliter consistit in potentia cognitiva; quia ex memoria et intelligentia oritur voluntas. Unde tota imago est in parte intellectiva sicut in radice. Et ideo omne quod attribuitur homini ratione imaginis, principaliter respicit intellectivam, et ex consequenti affectivam: quia etiam ex intellectiva parte homo habet quod

(2) hærent. — habent Pr.

(3) quam. — an Pr.

(2) imaginem. — imaginationem Pr.

sit homo; sed ex affectiva habet quod sit bonus vel malus. Et ideo, quia character respicit imaginem, principaliter est in parte intellectiva. » — Haec ille.

Item, 3 p., q. 63, art. 4, in solutione tertii, dicit: « Character ordinatur ad ea que sunt divini cultus; qui quidem est quedam fidei protestatio per exteriōra signa. Et ideo oportet quod character sit in potentia animae cognitiva, in qua est fides. » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Illud quod principaliter respicit imaginem creatam, et cultum divinum, pertinet ad potentiam cognitivam vel intellectivam. Sed character est hujusmodi. Ergo pertinet ad partem intellectivam.

Quarta conclusio est quod non omnia sacramenta novae legis imprimitur characterem, sed solum tria.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 63, art. 6, ubi sic dicit: « Sacramenta novae legis ad duo ordinantur: scilicet in remedium peccati, et ad cultum divinum. Est autem omnibus sacramentis commune quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur ad cultum divinum: sicut patet de penitentia, per quam homo liberatur a peccato; non tamen per hoc sacramentum exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in pristinum statum. Pertinet autem aliquod sacramentum ad divinum cultum tripliciter: uno modo, per modum ipsius actionis; alio modo, per modum agentis; tertio modo, per modum recipientis. Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad divinum cultum Eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, in quantum est Ecclesie sacrificium. Et per hoc idem sacramentum non imprimitur homini character: quia per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid ulterius agendum vel recipiendum in sacramentis, cum potius sit finis et consummatio omnium sacramentorum, ut dicit Dionysius, cap. 3 *Ecclesiastice Hierarchie*; continet tamen in seipso Christum; in quo non est character, sed tota sacerdotii plenitudo. Sed ad agentes in sacramentis pertinet sacramentum ordinis: quia per hoc sacramentum deputantur homines ad tradendum aliis sacramenta. Sed ad recipientes pertinet sacramentum baptismi, per quod homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesie sacramenta; unde baptismus dicitur esse janua sacramentorum. Et ad idem ordinatur quodammodo confirmatio. Et ideo per haec tria sacramenta character imprimitur, scilicet baptismum, confirmationem et ordinem. » — Haec ille.

Item, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 4, q. 4)*, in art. 4, in solutione secundae questiunculae, sic dicit:

« Sacramenta novae legis sunt quedam sanctificationes. Sanctificatio autem duobus modis accipitur. Uno modo, pro emundatione; quia sanctum est idem quod mundum. Alio modo, pro mancipatione ad aliquid sacrum (z); sicut dicitur altare sanctificari, vel aliquid hujusmodi. Omnia ergo sacramenta sunt sanctificationes primo modo; quia omnia dantur in remedium contra aliquem defectum. Sed quedam sunt sanctificationes etiam secundo modo, sicut patet praecipue in ordine, quia ordinatus mancipatur ad aliquid sacrum (y); non autem omnia, sicut patet de penitentia. Quienque autem mancipatur ad aliquid sacrum (z) spirituale exercendum, oportet quod habeat spirituale potestatem; et solum talis. Et ideo non omnia sacramenta novae legis characterem imprimunt; sed quedam, quae etiam secundo modo sanctificationes dicuntur. » — Haec ille.

Item, ibidem, in solutione tertiae questiunculae, sic dicit: « Sicut in naturalibus est potentia naturalis activa, et potentia naturalis passiva; ita etiam in spiritualibus est potentia spiritualis quasi passiva, per quam homo efficitur susceptivus spirituum actionum. Et talis potentia spiritualis conferatur in baptismo: quia non baptizatus effectum aliorum sacramentorum suscipere non posset; unde, per consequens, nec aliis tradere. Et haec est prima distinctio, qua communiter totus populus fidelis, cuius est sacramentorum participem esse, ab aliis distinguitur. Alia potentia est activa spiritualis, ordinata ad sacramentorum dispensationem, et aliarum sacrarum hierarchiarum actionum exercitium. Et haec potestas traditur in confirmatione et ordine. Et quia in ecclesiastica hierarchia non omnes sunt agentes (utputa purgantes, illuminantes, perficientes), sicut omnes sunt recipientes divina (puta purgandi, illuminandi, perficiendi), ut dicit Dionysius (*de Eccl. Hierarch.*, cap. 6); ideo isti duo characteres non distinguunt populum Dei universaliter ab aliis, sed quosdam de populo ab aliis. » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Per illa sacramenta imprimitur character, per quae mancipatur homo ad aliquod sacramentum exercendum active, vel passive. Sed baptismus, confirmation et ordo sunt hujusmodi, et non alia. Igitur in istis imprimitur character, et non in aliis.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II. PONUNTUR OBJECTIONES.

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Scoti. — Quantum ad secun-

(x) *aliquid sacrum.* — *aliquid sacramentum* Pr.

(y) *aliquid sacrum.* — *aliquid sacramentum* Pr.

(z) *aliquid sacrum.* — *aliquid sacramentum* Pr.

dum articulum, argendum est contra conclusiones. Et quidem, contra primam arguit Scotus (dist. 6, q. 10), probando quod character non sit forma absoluta.

Primo. Quia, si sie, contradicis tibiipsi. Nam, secundum te, diffinitio characteris est talis: *Character est signum communionis fidei et ordinationis, datum a Hierarcha; vel quod est signum communionis divinorum et sacræ ordinationis fidelium.* Et quocumque modo, sic vel sie diffiniatur, signum ponitur in diffinitione characteris tanquam genus. Ex hoc arguitur quod character non potest esse forma absoluta. Quia ad quidditatem formae absolute non pertinet aliquis respectus; quia tunc illa quidditas esset ad se, et non esset ad se. Nec etiam potest dici quod relatio ponatur ibi tanquam genus, et non sit vere genus: quia hoc modo ponitur subjectum in diffinitione accidentis; patet autem (α) quod relatio non est subjectum absoluti, nec etiam relatio est susceptiva.

Secondo. Quia sicut non sunt ponenda plura sine necessitate, ita, quando (β) aliquid ponitur precise propter aliud, non est illud ponendum perfectius quam requiratur ad illud aliud, vel quam possit ex illo alio concludi: nam illa perfectio ulterior quæ poneretur, frustra poneretur. Sed propter omnia illa propter quæ ponitur character, non est necesse quod sit perfectio absoluta: possunt enim omnia illa sufficienter salvare, si ponatur quod sit forma respectiva. Ergo superflue, et sine causa, ponitur esse perfectio absoluta.

Tertio. Quia falsum accipitur, quod nulla relatio noviter adveniat sine novitate absoluti. Hujusmodi enim falsitas patet quadrupliciter (γ).

Primo sic. Respectus (δ) non potest magis intrinsecse advenire fundamento quam quod necessario sequitur ipsum posito termino: quia omnino non potest inesse fundamento, circumscripto termino; quia tunc non esset respectus, sed forma absoluta. Ergo, si aliquis respectus potest extrinsecus advenire fundamento, sequitur quod non necessario sequitur fundamentum, posito termino. Ergo iste respectus potest esse novus sine novitate fundamenti vel termini. Ergo ad ejus esse novum potest esse mutatio, quia non est ad aliquod absolutum. — Quod si dicas aliquem respectum extrinsecum advenire subjecto, non fundamento, — hoc nihil est: quia relationes intrinsecæ, utpote similitudo quæ consequitur albedinem, et hujusmodi, possunt extrinsecus advenire subjecto, quia fundamentum de novo advenit; ergo, si ille sunt intrinsecæ, et aliae sunt extrinsecæ, erit differentia earum in comparatione ad fundamentum.

Item: Agens naturale non potest de novo agere, nisi ponatur aliquid novum in ipso, vel in passo, vel habitudo nova illorum. Hoc apparet: quia, omnibus istis uniformiter se habentibus, uniformiter erit actio, cum tale agens agat de necessitate nature; ergo, si aliquid agens naturale habet novam actionem, vel est aliqua forma absoluta ante illam actionem nova in agente, vel aliqua nova in passo, vel nova habitudo agentis ad passum. Sed nec primum nec secundum est necessarium: potest enim ignis de novo agere in lignum, absque hoc quod ante illam actionem ignis recipiat novam formam; vel lignum, quia prima forma absoluta quam recipit lignum, est per illam actionem. Ergo ibi est nova habitudo ignis ad lignum, absque omni novitate formæ absolute.

Hoc *etiam* patet experimentaliter. Quia, activo eodem modo se habente secundum formam activam, et passivo eodem modo se habente secundum potentiam passivam proximam, si fuerit aliquid impedimentum etiam inter illa interpositum, non aget illud agens in passum; amoto autem illo impedimento, sive obstaculo, aget. Ergo ibi nova habitudo agentis ad passum, sine nova forma absoluta, erit.

Item, hoc probatur ex intentione Philosophi, 5. *Physicorum* (t. c. 10, 19, etc.). Quia, licet neget motum esse in *ad aliquid*, prout ad genus *ad aliquid* pertinent relationes intrinsecus advenientes, non negat tamen motum vel mutationem esse in *ad aliquid* extrinsecus adveniens, immo concedit. Concedit enim in genere *ubi* esse motum proprius; et tamen *ubi* non est nisi respectus quidam corporis circumscripti ad locum vel corpus circumscribens.

Quarto principaliiter arguit. Quia, ut dicit, aliud falsum ibi assumitur, scilicet quod relatio non possit fundare relationem. Quia, secundum Euclidem, 5. *Geometriæ*, in principio, proportionalitas duarum proportionum est similitudo. Ergo super proportionem, quæ dicit formaliter relationem, vel super unitatem ejus, fundatur similitudo. — Et si dicas quod similitudo est unitas in qualitate, secundum Philosophum, 5. *Metaphysicæ* (t. c. 20), — non valet. Quia, etsi uno modo *quid* approprietur (α) substantiæ, et eodem modo *idem* et *versum* quæ consequuntur aliquid, inquantum *quid* fundatur in unitate substantiæ, et *æquale* in unitate quantitatis stricte acceptæ, et *simile* in unitate qualitatis; tamen, alio modo accipiendo *quid* et *quale*, et *simile*, in omni genere invenitur *quid*, accipiendo rationem illius generis precisely ad se, et invenitur *quale*, accipiendo formam in illo genere in ratione formæ, et invenitur *quantitas* virtutis; et sic in omni genere invenitur *unum*, *simile* et *æquale*: hoc modo enim possunt relationes unius speciei dici *similes*, secundum unitatem illius relationis,

(α) *autem.* — *enim* Pr.

(β) *quando.* — *quod* Pr.

(γ) *quadrupliciter.* — *multipliciter* Pr.

(δ) *Respectus.* — *Illa* Pr.

(α) *approprietur.* — *appropriatur* Pr.

sicut habentes unam formam substantialem, sunt similes secundum substantiam.

Item, quod additur de relatione fundata in charactere, scilicet signi, — illa potest fundari in alia, si signum est (α) quod praeter notitiam quam sensibus ingerit, aliud in cognitionem venire facit (quod est verum non solum de signo sensibili, sed etiam verum est de signo intelligibili, accipiendo sensum generaliter pro quacumque potentia cognitiva). Nihil autem est ex eius cognitione non possit deveneri in cognitionem alterius; saltem ut ex cognitione posterioris (ε) in prius; et sic illud posterius potest dici signum prioris. Et sic conceditur quod super aliquam relationem realem potest fundari relatio signi ad aliquid prius, si talis relatio non tantum ducit in cognitionem sui, sed alterius. Et hoc modo, si quis videret paternitatem in suo fundamento, posset esse signum rememorativum actus generationis preterite. Et illo modo in proposito. Et maxime hic non est inconveniens, quia illa relatio signi non est nisi relatio rationis, loquendo de signo instituto ad placitum, cuiusmodi est character respectu sacramenti suscepti.

Item, illud quod dicitur de relatione configurationis vel obligationis, — non valet. Potest enim religiosus per voluntatem religionis obligari ad servendum religioni, et qui facit homagium, per actum faciendi homagium obligari domino suo; et universaliter, in talibus, per promissionem precedentem. Et tamen non est ibi aliqua forma absoluta, super quam fundetur illa obligatio; nec forte alia relatio, nisi rationis. Et ita bene posset salvare ratio obligationis, sicut si poneretur relatio realis: sicut in filio posset esse relatio alicujus habitudinis ad patrem, puta obligationis, ad dilectionem naturalem, etsi possibile esset filiationem esse solam.

Nec valet probatio de processu in infinitum in relationibus realibus. Quia aliqua est ultima relatio realis, in qua non potest fundari aliqua relatio realis: sicut aliquod accidens est ultimum in entibus, quod non potest ulterius esse subjectum alicujus alterius accidentis; et ideo non sequitur, si accidens est in accidente, quod in accidentibus esset processus in infinitum. De relationibus tamen rationis, bene conceditur quod ibi potest esse processus in infinitum: quia qualibet relatio, sive realis, sive rationis, potest ulterius fundare aliam relationem. Ergo, etc.

Quinto principaliter. Quia aliud (γ) falsum assumitur in probationibus, scilicet quod character sit potentia, isto modo quod habens characterem possit in aliquem actum, in quo sine illo non posset. Nam baptizatus in nullum actum simpliciter potest, in quem

non posset non baptizatus; et hoc, sive loquendo de actu in quem potest active, sive de actu quem quodammodo ab alio recipit: ita enim posset non baptizatus ungi chrismate sicut baptizatus, et ita posset abluerre sicut baptizatus. Si autem loquamus de potestate ministri, hoc est, per quam fit conveniens minister alicujus principalis agentis, et sine illa potestate non esset conveniens minister talis principalis agentis, talis potestas non oportet quod sit forma absoluta; immo sufficeret in multis quod sit tantummodo relatio rationis. Probatur, secundum te. Nam dicas episcopatum non esse ordinem ultra sacerdotium; et tamen episcopus habet talem potestatem ministerialem, quam non habet non episcopus: est enim conveniens minister in aliquo actu, cui Deus assistit, ut in actu ordinandi; et non similiter assisteret, si aliquis non episcopus exequatur similem actum. Consimiliter, constitutus judex, si ferat sententiam, sententia tenet; prius autem non tenuisset, quia sententia a non suo judice lata, nulla est. Nec tamen ille judex, sed nec ille episcopus, habet aliquam formam absolutam realem, nec (α) respectivam forte, nisi rationis tantum: per illam enim relationem rationis, qua ille a principe constituitur judex, voluntas principis ratificat sententiam ab eo latam, et vult eam observari; non autem vult servari sententiam alterius non constituti judicis, nec ratificat illam; et ita iste, per aliquam habitudinem ad voluntatem principis, habet potestatem ministerialem, respectu principis et illius principalis agentis, ad aliquem actum convenienter exequendum ministerialiter, quem sine tali relatione non posset convenienter (ε) exequi. Et multo magis (γ) posset relatio realis ponи, si inesset, talis potestas convenienter exequendi ministerialiter aliquem actum: patet enim quod filius, quia filius, potest habere aliquam auctoritatem ministerialiter exequendi convenienter (ε) in domo patris aliquem actum, quam non habet non filius; et iterum nepos aliquem alium actum, sed inferiorem; et potestas illa sic vel sic in auctoritate praecipendi vel imprendandi, non est nisi cognatio, vel filiatio. Sic etiam apparet ad (ε) istas potestates, de quibus arguitur in speciali. Nam potestas ordinati et confirmati, si est activa, non est nisi ad ministrandum convenienter in tali actu Domino (ζ), ut ipse ad talem actum ministerialem assistat, operando (η) principaliter, eo modo quo non assisteret similis (θ) ministerio exhibito ab alio. Si autem character baptismalis

(α) *uer.* — *sed* Pr.

(β) *a verbo exequendum usque ad convenienter*, om. Pr.

(γ) *magis.* — *minus* Pr.

(δ) *a verbis aliquem actionem usque ad convenienter*, om. Pr.

Pr.

(ε) *ad.* — Om. Pr.

(ζ) *Domino.* — *divino* Pr.

(η) *operando.* — *operanti* Pr.

(θ) *simili.* — *similiter* Pr.

(α) *si signum est.* — Om. Pr.

(β) *posterioris.* — *posteriorum* Pr.

(γ) *aliud.* — *illud* Pr.

ponatur potentia passiva, neque ut receptiva, neque ut ratio recipiendi ponit potest: nihil enim potest absolute recipere anima baptizati, quod non posset recipere anima non baptizati. Sed est potestas quadam receptiva de congruo a principali agente, disponente agere in passum habens talam formam, et non in aliud passum. Talis autem ratio receptiva de congruo, respectu principalis agentis voluntarie, potest esse sola relatio; sicut aliquis disponit aliquid agere in aliquem, quia filius vel consanguineus, nolens aliquid simile causare in non habente talam relationem. — Hæc Scotus, in forma.

II. Argumenta Aureoli. — Contra eamdem conclusionem arguit Aureolus (dist. 4, q. 1, art. 2), probando quod character non sit potentia activa.

Primo. Quia, si sic, hujusmodi esset character sacerdotalis. Sed nulla potentia activa potest esse in sacerdote respectu consecrationis. Non enim aliqua actio creata attingit terminum ad quem transsubstantiationis, ut etiam tu concedis; quoniam ibi fiunt multa miracula, ad quae nullum ordinem potest habere virtus creata. Nec etiam aliqua virtus, que sit in sacerdote, attingit ad terminum a quo, scilicet panem. Vel enim attingeret disponendo, ut transeat in corpus Christi facilius; vel faciendo ad ipsius desinitionem. Non primo modo. Quia illa dispositio induceretur in fine prolationis (pro illo enim instanti est precise actio verborum); in illo autem instanti, panis non est; et tunc illa dispositio esset non entis. Tum quia illa dispositio, cum sit creatura, aequa distat ab illo transitu, sicut panis. Tum quia non apparet qualis dispositio esset illa, ultrum rarefactio, vel calefactio, vel hujusmodi. Similiter nec secundo modo. Nulla enim actio creature est sine subjecto; nec etiam corruptiva; qualibet enim requirit in quid agat. Tunc queror: ubi esset illa actio que ageret ad desinitionem panis? Non potest dici quod in pane; quia panis non est, quando est illa actio. Nec in corpore Christi: quia corpus non est terminus illius actionis; nec subjectum cum sit nobilis; nec illa actio attingit terminum ad quem. Item, actio illa esset absque termino ad quem: ad ipsam enim sequeretur non esse panis simpliciter, absque aliquo termino ultra; et sic illa actio esset annihilativa; quod non potest competere creature.

Secundo. Quia, si Deus infundit partem illius virtutis in anima, et partem in verbis, ut tu dicas, quare oportet quod illa que ponitur in anima, sit permanens, et non sufficit quod sit virtus quadam transiens? quare etiam ponitur duplex talis virtus, una immans, alia transiens? Si dicas quod propter nobilitatem sacramenti; — **Contra:** Nobilitas non ponitur ex aliquo inherente, sed ex termino nobiliori inducto; sicut patet de medicina, positio quod induceret sanitatem non a tota specie sicut

alia, aequa nobilis esset, si induceret sanitatem sicut alia, dum tamen aequa perfectam sanitatem induceret.

Tertio. Quia illa qualitas in verbis, et in anima: aut est ejusdem rationis; aut alterius. Si ejusdem rationis; — **Contra:** si sint ejusdem rationis, ita quod quilibet sit imperfecta, et ambæ constituant unam perfectam virtutem, tunc altera poterit tantum intendi, quod sufficeret sine alia ad illam actionem. Dices quod hoc Deus bene posset facere, sed non ordinavit, etc.; — **Contra:** quia jam venis ad pactum.

Quarto. Idem, inquit, apparet de potestate diaconi et subdiaconi. Non enim oportet in eis ponere qualitatem a qua profluat operatio simpliciter (2); quia sufficit ad hoc intellectus dictans, voluntas imperans, et potentia exequens. Nec quia faciliori modo eliciatur operatio; quia aequa bene et faciliter leget epistolam non subdiaconus, sine manipulo. Similiter probatum est prius (6), quod nulla est dispositio in baptismio respectu gratiae, quæ sit dispositio ex natura rei.

Quinto. Quia, si character baptismi esset potentia susceptiva, non deberet dici potentia, sed impotentia: nam potentia facile patienti, que ponitur in secunda specie qualitatis, in *Prædicamentis* (cap. de Qualitate et quali), est impotentia ad resistendum.

Sexto (ibid., art. 3). Quia, secundum dicta sanctorum, character non est aliud quam quedam qualitas existens in anima, quæ est similitudo et propria species animæ Christi, sic quod nullius alterius essentiae sit similitudo. Quia enim Christus est princeps et caput fidelium; placuit Deo instituere characterem agni, qui daretur omnibus venientibus ad fraternitatem Christi et familiam, per quam apparcent filii et coheredes regni. Assumptum probatur.

— **Primo.** per Apostolum, *Galatar. 3(v. 27)*: *Omnes, inquit, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Aut ergo baptizatus dicitur Christum induere, quia induit gratiam et virtutes; quæ in baptismio infunduntur; et hoc non videtur bene dictum, eo quod multi suscipiunt sacramentum; qui non suscipiunt rem sacramenti. Aut quia induit Christum essentialiter; et hoc est impossibile. Ergo non ex alio videtur, nisi quia induit similitudinem animæ ipsius Christi. — **Item,** *Roman. 8 (v. 29)*: *Quos præscivit, hos et prædestinavit conformes fieri imagini ejus.* Ergo aliqua imago Christi formatur in nobis ex divina prædestinatione. — **Item,** *1. Corinth. 15 (v. 49)*: *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem caelestis.* — **Item,** Dionysius, *2. de Ecclesiastica Hierarchia*, vocat characterem lumen quo signatur. Istud autem

(2) *simpliciter.* — *similiter* Pr.

(6) Cfr. Aureolum, *4. Sentent.*, dist. 1, q. 1, art. 2.

lumen non videtur esse aliud quam pulchritudo et assimilatio. — Similiter, ibidem, vocat characterem *sigillum quoddam*. — Potest autem ad hoc talis ratio induci: Sicut omnes qui assumuntur ad familiam principis, portant signum et arma militiae vel politiae principis et civitatis, ut per hoc protestentur se esse de tali dominio; sic est rationabile quod in eis qui assumuntur ad Christi familiam, sit signum, sive qualitas, conformans Christo capiti. Et sicut in politia exteriori, quanto magis qui appropinquant ad principem et dignitatem, sicut milites et barones, signis specialioribus distinguuntur; sic, infra Christi familiam, milites (cujusmodi sunt qui recte receperunt sacramentum confirmationis), ac (z) principes (scilicet qui receperunt sacramentum ordinis), diversis similitudinibus designantur; ac per hoc alius et alius character in sacramentis infunditur. Ergo character non est aliud quam species et imago praedita, et signum distinctivum familie Christi. — Haec Aureolus, in forma, contra primam conclusionem.

III. Argumenta Durandi. — Contra eamdem conclusionem arguit Durandus (dist. 4, q. 4).

Et primo contra hoc quod conclusio ponit characterem esse potentiam activam, dicens: Quod in ministro sit aliqua virtus sicut in verbis et rebus sacramentalibus, licet habeat aliquam probabilitatem quantum ad characterem ordinis, per quem ordinatus dicitur operari divina per ministerium; tamen nullam probabilitatem habet de charactere baptismi. Quia per baptismum non efficitur aliquid minister sacramentorum, sed solum receptivus eorum; unde, cum virtus quae ponitur ab aliquibus in sacramento, sit activa ad producendum aliquid in altero, character, qui ponitur proportionaliter in ministro, debet esse potentia activa ad producendum aliquid in altero; quod non potest dici de charactere baptismali.

De charactere autem ordinis, qui, secundum hanc positionem, dicitur esse potentia activa, licet sit major probabilitas; tamen instantiam habet, etiam supposita praedita opinione. Quia virtus quae ponitur in sacramentis, secundum posidores hujus opinionis, non est permanens, sed transiens: solum enim ponitur esse in rebus sacramentalibus, pro tempore actualis exhibitionis sacramenti. Ergo, consimiliter, virtus quae ponitur in ministro, debet esse transiens, et non permanens post exhibitionem sacramenti. Hoc autem, secundum eos, non convenit characteri ordinis, quem dicunt indelebiliter permanere.

Et confirmatur. Quia non baptizatus potest baptizare, dum tamen servet ritum Ecclesie, et habeat (6)

intentionem faciendi quod facit Ecclesia; et tamen non (z) baptizatus non habet aliquem characterem. Aut ergo habet aliquam virtutem, sibi pro tempore quo baptizatus exhibitam, aut non. Si non, ergo in ministro non requiritur aliqua virtus proportionaliter correspondens virtuti quam dicunt esse in sacramentis. Si autem habet, cum illa non sit character, ut dictum est, sequitur quod virtus quae in ministro correspondet virtuti existenti in sacramentis, non est character, sed alia transiens; si tamen aliqua sit. Quod pro tanto dico, quia non videtur quod aliqua virtus, transiens aut permanens, activa vel passiva, sit in ministro, vel in suscipiente sacramentum, per modum quo isti ponunt. (Dicunt enim quod, sicut gratia est principium vite spiritualis, sic talis virtus, vel potentia, est principium operationis spiritualis.) Quia quaecumque in eodem supposito sunt formaliter principium quo vivit (6), et principium quo operatur opera vite, sive manens in ipso, sive transiens in alterum, impossibile est quod, corrupto principio quo vivit (7) formaliter, remaneat in ipso principium operationis vitalis, activum vel passivum. Quamvis enim in semine equi, quod non est vivens, sit virtus instrumentalis vitalis operationis, puta generandi alium equum; tamen, in equo vivente et habente vim generativam alterius equi, impossibile est quod, corrupta anima per quam vivit, remaneat in eo potentia generativa. Et idem est de potentia receptiva operationis vitalis, ut est visus, vel auditus. Cum ergo, secundum istos, gratia, per quam homo vivit spiritualiter, possit corrumpi in aliquo, remanente in eo charactere ordinis vel baptismi, impossibile est quod gratia et character sic se habeant sicut principium vite spiritualis et principium spiritualis operationis: quia principium vitalis operationis non potest esse ubi non est vita, si subjectum sit capax utriusque. — Haec Durandus, in forma,

§ 2. — CONTRA SECUNDAM ET TERTIAM CONCLUSIONES

I. Argumenta Scoti. — Ad secundam et tertiam conclusiones arguit Scotus (dist. 6, q. 4), probando quod inconvenienter ponatur character subjective in potentia animae.

Primo. Quia dispositio ad formam minime debet poni in posteriori susceptivo forme. Palet discurrendo per singulas formas, et dispositiones earum. Sed character est, secundum te, dispositio ad gratiam; et gratia, per te, est in essentia animae. Ergo character non potest poni in aliquo susceptivo posteriori quam essentia animae, sicut est potentia, quia est accidens ejus.

(a) *ac.* — *at* Pr.

(6) *habeat.* — *hanc* Pr.

(7) *vivit.* — *vivitur* Pr.

Secundo. Quia ratio una non valet, cum sic arguis: Gratia est in essentia animae; ergo potentia, vel dispositio ad gratiam est in potentia animae. Immo sequitur oppositum: scilicet quod vel ipsummet susceptivum gratiae sit susceptivum potentiae, vel dispositionis; vel saltem, si est dispositio, illa non potest esse in aliquo posteriori illo in quo est forma. Hoc etiam patet in aliis: quia habitus supernaturalis non est in habitu naturali, sed in potentia naturali, in qua est habitus naturalis; et hoc ideo, quia potentia naturalis est prior utroque habitu.

Tertio. Quia probatio qua probatur gratiam esse in essentia anime, non concludit. Quia perfectio naturalis prius inest alieni quam perfectio vel (α) potentia supernaturalis: nam perfectio (β) naturalis et intrinseca statim sequitur naturam sui perfectibilis. Potentia autem, etsi sit accidens, secundum te, tamen est perfectio intrinseca ipsius anime. Ergo prius naturaliter inest sibi potentia quam gratia; et, per consequens, posset habere rationem subjecti receptivi.

Quarto. Quia illud quod additur de vita, non concludit. Quia vita spiritualis primo inest animae ut est conjungibilis Deo; unde, secundum Augustinum, *de Civitate Dei* (l. 19), Deus propter hoc dicitur vita anime, quia anime non inest vita nisi in coniunctione ejus ad Deum ut ad objectum. Anima autem non est conjungibilis Deo in ratione objecti, nisi per potentiam.

Quinto. Quia illud quod additur de voluntate, quod ipsa oritur ex intellectu, non valet. Quero enim: aut intellectus habet ad voluntatem tantum prioritatem (γ) generationis, sive originis; et ex hoc non probatur perfectio in intellectu respectu voluntatis, sed imperfectio; universaliter enim imperfectiora praecedunt perfectiora, ordine generationis, *q. Metaphysicae* (t. c. 15). Si autem intelligis quod intellectus sit prior vel radix voluntatis, tanquam eminenter vel virtualiter continens voluntatem, hoc improbat ex dictis: quia ordinatum ad alterum, ut prius origine, non continet ipsum virtualiter vel eminenter; actus autem intellectus ordinatur essentialiter ad actum voluntatis, ut probabitur infraius (δ).*

Sexto. Quia, si character est signum ut fundatum obligationis anime ad Deum, rationabile est quod ponatur in illa potentia ejus est primo obligari, vel esse rationem obligandi. Talis autem est voluntas: quia praecipue per ejus actum aliquis se obligat principaliter; illa enim quae concurrent ex parte intellectus, vel alterius potentiae, in homine,

non sunt nisi preambula ad firmum (α) velle, ut quedam signa manifestantia illud esse firmum (β). — Haec Scotus, in forma.

II. Argumenta Durandi. — Contra eamdem conclusionem arguit Durandus (dist. 4, q. 1), probando quod character non sit in potentia intellectiva tanquam in subjecto.

Primo (γ). Quia illa virtus quae non perficit hominem quantum ad cognoscere, nec quantum ad appetere, sed solum quantum ad operari, non est ponenda in potentia cognitiva, nec appetitiva, sed solum in potentia executiva. Sed character non perficit hominem quantum ad cognoscere, vel appetere, sed solum ordinatur ad operari. Ergo non potest poni in potentia cognitiva, vel appetitiva, sed in potentia executiva, per quam minister applicat formam et materiam sacramenti ad suscipientem. Major patet: ars enim ponitur in potentia intellectiva, quia perficit hominem ad veram cognitionem factibilium; et virtus moralis ponitur in appetitu, quia inclinat ad appetendum prout recta ratio determinat; sed potentia factiva, est in manibus artificis. Minor de se manifesta est: quia character non perficit ad cognoscere, nec ad appetere, sed solum ad administrationem (δ) sacramentorum. Unde convenientius poneretur esse in manibus sacerdotum, quibus tenet hostiam consecrandam (et ad hoc consecratio sunt), vel in ore, vel in lingua proferente verba consecrationis, quam in intellectu; ut sic virtus quae ponitur in verbis, et virtus ministri, quae dicitur character, simul unite concurrerent ad effectum sacramenti.

Secondo arguit: Quia dispositio et forma ad quam disponit, debent esse in eodem subjecto. Sed, secundum te, character est dispositio quedam ad gratiam. Ergo debet esse in uno subjecto cum gratia, et non in alio. — Ad hoc dicunt quidam, quod duplex est dispositio. Una quae disponit subjectum in comparatione ad ulteriorem actum, sive ille actus sit forma, sive operatio; et talis dispositio est in eodem subjecto cum actu ad quem disponit; character autem non est talis dispositio ad gratiam. Alia est dispositio congruitatis; sicut si diceretur quod (ϵ) homo prudens, dispositus est, dispositione quadam congruitatis, quod committatur sibi regimen aliorum; et sic est, ut dicunt, de charactere; quia, cum per characterem efficiatur aliquis dispensator sacramentorum, congruum est quod sibi detur gratia, sine qua non posset ea bene et dignè ministrare; et talis dispositio non oportet quod sit in eodem subjecto cum eo ad quod disponit. — Sed

(α) *perfectio vel.* — Om. Pr.

(β) *perfectio.* — *potentia Pr.*

(γ) *ad voluntatem tantum prioritatem.* — *talem prioritatem aut voluntatem Pr.*

(δ) *Cfr. Scotum, 4. Sentent., dist. 40, q. 4.*

(α) *firmum.* — *futurum Pr.*

(β) *firmum.* — *futurum Pr.*

(γ) *Primo.* — Om. Pr.

(δ) *administrationem.* — *ministrationem Pr.*

(ϵ) *quod.* — Om. Pr.

hoe non valet, propter duo. *Primum* est, quia dictum eorum, et exemplum per eos adductum, magis est ad oppositum quam ad propositum. Congruum enim est quod digne detur potestas; et quia per prudentiam efficitur aliquis dispositus et dignus ad regendum alios, ideo prudentia est dispositio congruitatis ad regimen aliorum; qui vero non est prudens, expectare debet quod efficiatur prudens vel bonus. Cum ergo character sit potestas administrandi sacramenta, et gratia sit aliquid per quod dignus administrantur, rationabile esset dicere quod gratia esset dispositio congruitatis ad characterem, sicut prudentia, vel virtus, est dispositio congruitatis ad habendum regimen aliorum; et non e converso, scilicet quod character sit dispositio congruitatis ad gratiam; sicut non est dicendum quod potestas, vel auctoritas regendi, sit dispositio ad prudentiam. — *Secundum* est, quia isti videntur divertere a dicto suo de causalitate sacramentorum. Dicunt enim quod virtus quam ponunt esse in sacramentis, attingit instrumentaliter ad productionem characteris, et, per hoc, attingit dispositivem ad gratiam; sicut virtus qua est in semine hominis, attingit instrumentaliter ad aliquam dispositionem corporis, et, per consequens, attingit dispositivem ad infusionem animae rationalis. Quum igitur dispositio ad quam attingit instrumentaliter virtus seminis, sit dispositio ad (α) formam siendam in eodem subjecto; igitur character, vel quaecumque dispositio quam faciunt sacramenta instrumentaliter in anima, si sunt dispositiones ad gratiam causandas, sunt in eodem subjecto; aliter non valet eorum similitudo, seu comparatio.

Tertio arguit sic: Sicut nummus sortitur rationem pretii, et merellus (6) rationem signi, ex humana institutione; sic res naturales sortiuntur rationem sacramenti, et homo rationem ministri, ex divina institutione. Sed nummus efficitur premium, et merellus (γ) signum, per solam relationem rationis humanae sic instituentis. Ergo res sacramentales sortiuntur rationem sacramenti, et homo rationem ministri, per solam relationem rationis divinae sic instituentis. Cum ergo character sit aliquid quo homo efficitur minister sacramentorum, vel susceptivus eorum, patet quod character non est nisi relatio rationis, ex ordinatione vel pactione divina.

Quarto. Quia, cum scriptum sit, *Ecli. 24* (v. 31). *Qui elucidant me, vitam eternam habebunt*, ad ea que sunt fidei, cum sint satis obscura de se, non est conveniens adducere vias obscuras, et que plus habent obscuritatis et difficultatis quam propositum principale. Sic autem est de virtute que ponitur in

sacramentis, et de charactere qui ponitur in ministro. Dicere autem quod res naturales habent rationem sacramenti, et homo rationem ministri, ex sola institutione et ordine Dei, qui solus dat gratiam et omnem effectum spiritualem quem recipit suscipiens sacramenta, nihil difficultatis continet apud fidèles. Ergo, etc.

Quintū. Quia beatus Dionysius, a quo prima traditio characteris apud nos advenit, videtur idem sentire cum eo quod dictum est de charactere. Recitat enim (*de Eccl. Hier.*, c. 2) quendam ritum qui observabatur in primitiva Ecclesia quando adulti baptizabantur. Tunc enim accedenti ad baptismum, Hierarcha, id est, pontifex, manum imponebat, et signabat eum signo crucis, et precipiebat eum adscribi inter nomina Christianorum, ut de cetero cum aliis admitteretur ad divina. Et iste ritus exterior cum baptismo erat characterizatio sua. Nec de alio charactere locutus est Dionysius. — Hæc Duranus, in forma,

§. 3. — CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

Argumenta Scotti. — Contra quartam conclusionem arguit Scotus (dist. 6, q. 9), probando quod baptismus non imprimat aliquam formam, que dicitur character.

Primo. Quia, sicut, secundo rationem naturalem, non sunt ponenda plura, quorum necessitas non appareat ex notis secundum rationem naturalem; ita, de creditis, vel de sacramentis, non sunt ponenda plura, quorum necessitas non appareat secundum fidem. Sed necessitas talis forme impressæ non appareat, etiam secundum ea quæ credita sunt de baptismo. Ergo, etc. Minor probatur. Quia nec Scriptura Sacra illud exprimit esse necessarium in baptismo, nec Sancti explicite. Nec sequitur evidenter ex veritate baptismi credita: quia tota veritas baptismi consistit in sacramento visibili et in effectu invisibili; et effectum invisibilem Augustinus ubique vocat gratiam, specialiter scilicet in littera (α).

Hic (6) dicitur quod Sancti satis tradunt de charactere secundum illum modum quo loquimur, ut patet de Dionysio et de Damasco. — Sed istae auctoritates videntur esse vocales, et non ad intentionem Sanctorum. Sicut enim respiciendo translationem et expositionem Vercellensis cap. 2. *Ecclesiastica Hierarchiae*, in parte sexta (γ), in libro

(α) Cfr. Magistr. *Sentent.*, lib. 4, dist. 4, ubi multis assert textus Augustini, in quibus est sermo de sacramento et de re sacramenti; et, in dist. 5, citat Augustinum, q. 84 *super Leviticum*, dicente: *Dominus sanctificat invisibili gratia per Spiritum Sanctum, ubi est totus fructus visibilium sacramentorum; nam sine hac sanctificatione visibilia sacramenta nil prosumt.*

(6) *Hic. — ubi Pr.*

(γ) Haec verba in editione Migne reperiuntur cap. 2, part. 3, § 4.

(α) a verbo *infusionem* usque ad *dispositio ad. om. Pr.*

(6) *merellus. — merlus Pr.*

(γ) *merellus. — merlus Pr.*

quem vidi, sunt ista verba, que allegantur, ubi (α) dicit, secundum istam translationem : *Ita (β) sursum actum, divina beatitudo ad sui ipsius participationem recipit, et de proprio lumine, sicut quodam signo, ipsi tradit, divinum faciens, et communicatorem in Deo manentium.* Et sequitur, ibidem : *Sanctum signum, a Hierarcha accedenti data assignatio;* ubi adducunt aliqui, de alia translatione, talia verba, quod venienti *ad baptismum donatur a summo sacerdote sacrum signaculum* (γ). Similiter de Damasceno, lib. 4, cap. 9, sic adducitur, quod *per baptismum datur nobis regeneratio et sigillum;* per sigillum intelligitur, secundum eos, character. Ibidem autem (cap. 11), dicitur quod *illud est sigillum.* Quod autem istae auctoritates non adducantur ad intentionem auctorum, patet de prima. Quia, sicut (δ) continet planum litteræ, et Vercellensis exponit, in illa parte sexta capituli secundi (ε), declarat de quodam p̄reambulo ad baptismum, secundum ritum græcorum. In primitiva enim Ecclesia, baptizandus primo in Ecclesiam inducatur, cui Hierarcha manum capitū imponens, signabat eum, p̄cipiens sacerdotibus quod tam ipsum quam ejus susceptorem (ζ) describant. Illud autem siebat longe ante baptismationem, sicut apparet ex processu litteræ ibi; quia de actu baptizandi determinatur parte illa, sub littera P. Unde et (η) textus ille Dionysii, secundum intentionem illius Vercellensis, truncatè adducitur. Præmisso enim *de proprio lumine sicut quodam signo, ipsi tradit, et communicatorem (θ) in Deo manentium,* etc. (ι), de istis subdit : *Quorum est sanctum signum a Hierarcha accedenti data signatio, et sacerdotum (κ) salutaris descriptio.* Quorum, inquam, redde singula singulis : scilicet illuminationis traditio sanctum signum est a Hierarcha data signatio, scilicet impositio manuum in capite; quod

(α) ubi. — ut Pr.

(β) Ita. — In Pr.

(γ) Verba Dionysii sunt : Τὸν δ'οὐτως ἀναγύμνευν ἡ Θεῖα μακαρίστης εἰς τὴν ἑαυτῆς μετουτίαν εἰσέγεται, καὶ τοῦ οἰκείου φωτὸς, ὥσπερ τοὺς αὐτὰ σημείου μεταβολῶσιν, ἔνθεον ἀποτελοῦσα καὶ κοντανῶν τῇ, τῶν ἐνθέων ἀποκληρώσεως καὶ τεράξ κατατάξεως· ὃν ἐστι σύμβολον ιερὸν ἡ τοῦ Λεράρχου τῷ προστίντι διπρομένη σφραγίς. — Quae verba, secundum translationem Corderii, sic leguntur : *Sic adductum, divina beatitudo ad sui admittit communicationem propriaque lucis, instar signi cuiusdam, ipsum participat, Deo intimum reddens, ac consortem munierum divinorum, atque ordinis sacri; quorum sacra est tessera, summi sacerdotis accedenti datum signaculum.* Cfr. Migne, *Patrol. græc.* tom. 3, pag. 399, 400.

(δ) sicut. — sic Pr.

(ε) illa parte sexta capituli secundi. — prima parte, cap. 6,

2 Pr.

(ζ) susceptorem. — susceptionem Pr.

(η) et. — vel Pr

(θ) communicatorem. — communicationem Pr.

(ι) etc. — et tamen Pr.

(κ) sacerdotum. — sacramenti Pr.

sit communicator divinorum, signum est sacerdotum salutaris descriptio, qui scilicet describunt eum, et ejus susceptorem (α), tanquam in communionem Christianorum receptum. Illa autem impositio manuum et descriptio siebat longe ante baptismationem. Ergo nullo modo illa hie dicta possunt intelligi de aliquo signo impresso in baptismo. Quare, etc. — Similiter auctoritas Damasceni valde inepte adducitur. Quia pars unius orationis adjungitur cum parte alterius sequentis, pretermissa sententia concipienda cum parte præcedente. Jacet enim sic littera in Damasceno : *Per baptismum primitias (β) Spiritus Sancti assumimus;* et est ibi versus; et sequitur aliis versus : *Et principium alterius vitae fit in nobis regeneratio;* et tunc sequitur statim : *Custodia, et sigillum, et illuminatio.* Ergo nullo modo vult ipse dicere quod per baptismum fit in nobis sigillum, sed quod *per baptismum sumimus primitias (γ) Spiritus Sancti,* in primo versu; et in alia clausula, quod *regeneratio est principium vite, et sigillum,* etc. Ergo ex illa auctoritate non potest haberi nisi quod baptismus sive regeneratio, sit sigillum; non autem quod per baptismum fiat in nobis sigillum. Alia autem auctoritas Damasceni nihil valet. Nam expresse ibi loquitur de cruce, dicens : *Illa nobis signatio in fronte data est, quemadmodum Israeli circumcisio; per ipsam enim fideles ab infidelibus distinguuntur.* Et sequitur de eadem cruce : *Illa scutum est, arma et trophæum, adversus diabolum; illud est sigillum, ut non approximet nobis vastator.* Non plus dicere vult, nisi quod impressum est nobis sigillum contra inimicum; et constat hoc non esse ad propositum.

Secundo principaliter arguit. Quia Augustinus, qui tantum tractat ex intentione de baptismo (δ) (utpote in septem libris *de Baptismo, contra Donatistas;* et in uno volumine *de Unico Baptismo;* et in tertio volumine *de Peccatorum meritis et remissione, et de Baptismo parvolorum;* et, cum hoc, multa *super Joannem;* et in aliquibus capitulis libri *de Fide ad Petrum*), non tacuisset de charactere, si ipse fuisset immediatus et necessarius effectus baptismi. Et si dicas quod non negat; — dico quod ad propositum sufficit quod non affirmet : quia tante investigationis supponitur, quod, si character fuisset res proxima baptismi, alicubi expressisset; nunc autem in baptismo non distinguit nisi sacramentum, hoc est, aliquid visibile, et rem sacramenti, scilicet gratiam; nec unquam dicit sicutum recipere rem sacramenti; nec unquam initerabilitatem baptismi ostendit per talem characterem.

(α) susceptorem. — susceptionem Pr.

(β) primitias. — primitia Pr.

(γ) primitias. — primitiva Ecclesiæ Pr.

(δ) ex intentione de baptismo. — de intentione baptismo Pr.

rem impressum. — Confirmatur. Quia, *de Consecratione*, dist. 4, colliguntur auctoritates Sanctorum de baptismo; nec videtur verisimile quod nullus eorum locutus esset de charactere, si ipse fuisset necessarius effectus baptismi. Et quod videatur magni ponderis, Magister *Sententiarum* nunquam de illo charactere secundum illam intentionem locutus est, cum tamen ipse diligenter auctoritates Sanctorum de materiis quas tractat compilaverit.

Tertio. Quia nihil frustra ponendum est in operibus Dei; quia Deus et natura nihil faciunt frustra. Sed character, secundum illum intellectum positus, frustra ponitur. Quod probatur dupliceiter: primo, comparando ad effectum principalem baptismi, qui est gratia; secundo, ad illos effectus qui attribuuntur characteri, scilicet assimilare, distinguere, etc.

Quantum ad primum, arguitur sic. Si character requiritur ut dispositio ad gratiam: aut ergo ex parte susceptivi; aut ex parte agentis. Non ex parte susceptivi: quia anima non habens actu peccatum, est summe disposita ad suscipiendum gratiam. Nec ex parte agentis: quia agens est infinite virtutis. Et si dicas quod requiritur ut dispositio permanens ad effectum inducendum quandoque posterius tempore, qui non statim inducitur, utpote ad hoc quod fictus baptizatus postea recipiat effectum baptismi; — Contra hoc autem arguitur: Aut pro illo posteriori, quando recipit ultimum effectum baptismi, requiritur character, ut dispositio ex parte susceptivi; aut ex parte agentis. Et stat ratio ut prius. — Arguit etiam hic specialiter. Quia, sine tali signo, posset Deus assistere baptizato, ad causandum effectum baptismi, recedente fictione, sicut astitisset in ipso baptismi, si non fuisset prius fictus. — Confirmatur. Quia effectus baptismi non datur illi qui ponitur habere characterem, nisi pœnitentia vere. Sed per veram pœnitentiam, sine tali forma, datur gratia.

Quantum autem ad alios effectus, probatur propositum. Quia sine forma inhaerente posset baptizatus assimilari baptizato, et distingui a non baptizato, per hoc quod recipit baptismum; sicut patet in multis aliis; quia professus in aliqua religione, assimilatur alteri professo, et distinguitur ab altero non professo, non per aliquam formam sibi inhaerentem post professionem, sed quia talum actum habuit in praeterito. — Eodem modo de tertio effectu, scilicet (z) quod ponitur signum configuratum Christo, sive obligativum. Potest enim aliquis esse obligatus alicui, et ita configuratus illi, quantum ad obligationem configurandi, sine omni forma inhaerente: sicut ille qui facit homagium, obligatur alteri ad fidelitatem servandam, et ita ad quamdam

configurationem vel confederationem; et professus, ex professione tenetur conformari seu configurari prelato suo; et tamen nec faciens homagium, nec profitens, recipit aliquam formam absolutam, que sit signum configurandi (z). — De quarto effectu, scilicet quod ponitur signum commemorativum ipsius sacramenti, arguitur. Quia, aut respectu sacramenti ponitur tale signum rememorativum, propter excellentiam sacramenti in se; aut propter aliquam habitudinem ad alios, qui ex signo cognoscant signatum. Non primo modo: quia excellentiora sunt fides et charitas, quam suscepisse baptismum; et tamen illa non habent aliquod signum rememorativum, postquam infuerunt (6). Nec secundo modo. Quia, vel in comparatione ad Deum, vel ad proximum. Non ad Deum: quia Deus sine omni signo inexistente cognosceret illum suscepisse sacramentum. Non ad proximum. Quia: vel ad beatum (?) in gloria, ad maiorem gloriam habentis tale (e) signum; vel ad damnatum in inferno, ad maiorem confusione habentis tale signum. Neutrum est dare: quia major gloria est beato habuisse actum charitatis (e), quam suscepisse baptismum; et major confusio est damnato cecidisse a charitate, quam a susceptione baptismi; et tamen charitatis, seu actus meritorii, nullum ponitur signum rememorativum in beato, vel damnato. — Specialiter autem arguo de beatitudine. Quia, si illud signum esset in habente ad excellentiam in gloria, sequitur quod solus sacerdos inter omnes christianos posset habere tales excellentias in gloria; quia solus sacerdos habet omnes characteres. Sequeretur etiam quod Christus careret illa excellentia in gloria: quia ipse non est sic baptizatus baptismi Christi, nec baptismus Joannis impressit characterem; nec fuit ordinatus ita ut conficeretur in ordine sacerdotali, quia non fuit ab aliquo ordinatus; pari ratione, nec confirmatus confirmatione sacramentali. Eliam sequitur (z) quod sancti patres et Beata Virgo non haberent illam excellentiam in gloria.

Quarto principaliter arguitur sic. Quia non videtur probabile quod alicui, qui non tantum est in peccato mortali, sed etiam actu peccat mortaliter, Deus conseruat suum donum. Et hujus (?) probatio est: quia Dei perfecta sunt opera, *Danteo*, 32 (v. 4); et ideo nullum curat, quem non perfecte curat (impium enim est a Deo dimidiare sperare salutem, vel imperfectam veniam); nullum ergo donum suum dat alicui peccanti mortaliter. Sed fictus, in suscipiendo baptismum, peccat mortaliter; quia facit

(z) *configurandi*. — *proficiendi* Pr.

(6) *infuerunt*. — *fuerit* Pr.

(?) *beatum*. — *baptismum* Pr.

(z) *habentis tale*. — *in habente* Pr.

(e) *charitatis*. — *characteris* Pr.

(z) *sequitur*. — Om. Pr.

(?) *hujus*. — *hujusmodi* Pr.

irreverentiam sacramento. Ergo (x) Deus, ex virtute hujus actus quo peccat mortaliter, non dat sibi aliquod donum speciale. (6)

Quinto (y). Quia omne donum Dei datum homini, aut est gratia gratum faciens, vel gratis datum (sic intelligendo hoc quod est gratum faciens (z), vel actualiter, vel dispositivo). Quod brevius dici potest: quod (e) Deus nullum donum dat homini, nisi vel propter bonum ejus, vel propter bonum Ecclesiae (eiusmodi est donum linguarum, vel illa de quibus (g) loquitur Apostolus, 1. Corinth. 12). Sed talis character non potest ponи nec dici gratia gratis data, propter bonum Ecclesiae: quia illud nulli valet (t), nisi tantum habent; patet etiam quod nullus (h) effectus utilis Ecclesiae sequitur. Sed nec est donum gratum faciens; quia per istud donum non constituitur persona in aliquo gradu acceptio respectu Dei. Nec etiam tale confortur sine gratia et charitate; quia Deus perfecte sanat.

Sexto arguitur ex modo ponendi characterem, quia scilicet ponit indelebilis. Et hoc sic: Nulla forma inest animae, quam non possit delere Deus; quia minus est delere quam creare. Saltem non includeret contradictionem, formam creatam in anima, deleri ab anima. Ergo, si character sit indelebilis, nulla talis forma est in anima baptizata. — Confirmatur istud. Quia, si character est indelebilis, ergo, eadem ratione, illa virtus quam ponis in sacramentis, est indelebilis; quod tu negas.

Septimo. Tu ponis quod circumcisio non imprimebat characterem. — Contra. Quia, secundum te, circumcisio non erat causa gratiae, nisi quia imprimebat dispositionem ad gratiam. Illa autem dispositione videtur character. — Haec Scotus, in forma.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem,

Ad primum Scoti contra primam conclusionem, dicitur, negando primam consequentiam ibi factam. Et ad probationem, dicitur quod neutra illarum

(x) *Ergo.* — *Sed Pr.*

(y) *ergo.* — *Ad. Pr.*

(z) *Quinto.* — *Om. Pr.*

(h) a verbis *vel gratis usque ad faciens*, *om. Pr.*

(t) *quod.* — *qua Pr.*

(g) *quibus.* — *qua Pr.*

(n) *etiam.* — *Ad. Pr.*

(0) *etiam quod nullus.* — *qua nihilominus Pr.*

diffinitionum est essentialis aut quidditativa; et ideo signum non ponitur ibi tanquam genus characteris, nec ut subjectum ejus, sed illa diffinitio est per posteriora et accidentalia, et est quaedam descriptio per respectus consequentes essentiam characteris absolutam: essentia enim characteris est qualitas absoluta, de secunda specie qualitatis, quam consequuntur inseparabiliter respectus, sicut et omnes qualitates de secunda specie qualitatis. Unde, sicut in suo simili fuit dictum in tertio (z), talis character non est respectus, nec compositum ex respectu et absoluto; sed est absolutum sub respectu. Et potest diffiniri dupliciter: scilicet vel quoad absolutum, vel quoad respectum. Et simile est de omnibus que sunt relativa secundum dici. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 21, art. 6, sic dicit: « Aliquod nomen potest importare respectum dupliciter. Uno modo, sic, quod nomen imponatur ad significandum ipsum respectum: sicut hoc nomen *pater*, vel *filius*, aut *paternitas* ipsa. Quaedam vero dicuntur importare respectum, quia significant rem alienus generis, quam comitatur respectus, quanvis nomen non sit impositum ad significandum ipsum respectum: sicut hoc nomen *scientia* est impositum ad significandum qualitatem quamdam, quam sequitur quidam respectus, non autem ad significandum respectum. Et per hunc modum ratio boni respectum duplicat: non quia ipsum nomen boni significat ipsum respectum solum; sed quia significat id ad quod sequitur respectus, cum respectu ipso. » — Haec ille. — Similia dicit in multis locis. — Hanc solutionem magis exprimit, 3 p., q. 63, art. 2, ubi arguit sic (arg. 3): « Character a quibusdam diffinitur sic: *Character est signum sanctum communionis fidei et (6) sanctae ordinationis, datum a Hierarcha.* Signum autem est in genere relationis, non in genere potestatis. Non ergo character est spiritualis potestas. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod relatio, qua importatur nomine signi, oportet quod super aliquid fundetur. Non autem relatio hujus signi, quod est character, potest fundari immediate super essentiam animae. Et ideo oportet ponit aliquid in anima, super quod fundetur talis relatio. Et hoc est essentia characteris. Unde non oportebit quod sit in genere relationis, ut quidam posuerunt. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione quarti, sic dicit: « Character habet rationem signi per comparationem ad saeramentum sensibile; sed, secundum se consideratus, habet rationem principii, per modum jam dictum (in corp. art.). » — Haec ille. — Item, art. 4, in solutione secundi, sic dicit: « Character animae impressio. »

(x) Cfr. 3 *Sentent.* (id est vol. 5), dist. 23, q. 4, art. 3, § 2, 1.

(6) *et.* — *Om. Pr.*

sus habet rationem signi, in quantum per sensibile sacramentum imprimitur; per hoc enim seatur aliquis baptismali charactere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Nihilominus tamen character vel signaculum dicti potest, per quamdam similitudinem, omne quod configurat alieui, vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile; sicut Christus dicitur figura vel character paterna substantiae, secundum Apostolum, *Hebravor. 1^o(v. 3)*. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod, sicut ista consequentia non valet: *Principium ponitur in diffinitione potentiae activae; sed principium dicit relationem; ergo potentia activa est relatio, vel est essentialiter in genere relationis;* ita nec argumentum arguentis. — Potest etiam breviter dici, quod de charactere possimus loqui duplicitate: primo modo, quoad rem, et ut quedam res in se; secundo modo, quoad nomen, et ut character est et nominatur. Primo modo est absolutum quid, nec est in genere *ad aliquid*, nec in genere signi essentialiter; secundo modo est *ad aliquid*, et relativum. Modo dictae diffinitiones dantur de charactere secundo modo, non autem primo modo; sunt enim diffinitiones *quid nominis*, non autem *quid rei*. Et haec solutio in idem reddit cum prima.

Ad secundum, negatur minor. Quia character non solum ponitur ut signum, immo ut principium activum, vel passivum, ut statim dictum est. Pura autem relatio non est principium activum, nec passivum. Et ideo oportet quod essentia characteris sit forma absoluta, quam tamen comitatur respectus.

Ad tertium, negatur antecedens. Verum enim est quod nunquam advenit nova relatio, aut novus respectus, sine novitate absoluti, vel circa absolutum facta. Que tamen potest multipliciter contingere: utputa quia alterum correlativorum noviter acquirit vel deperdit aliquid absolutum sibi inherens, puta aut formam substantiam, aut esse, aut aliquam partem, aut aliquam qualitatem, aut quantitatem, aut hujusmodi; alio modo, quia noviter acquirit vel deperdit aliquod absolutum extrinsecus adjacens, puta locum, vel habitum, vel consimile.

Tunc *ad primam probationem* antecedentis principalis jam negati, dicitur quod, licet respectus quem vocat extrinsecus advenientem, enjusmodi est *ubi*, vel *quando*, aut *habitum*, et similes, possit (x) noviter advenire alieui sine novitate subjecti, aut fundamenti primi, aut termini; tamen semper est ibi quedam innovatio penes aliquod absolutum inherens, vel extrinsecum. Quod patet: quia respectus *ubi* nunquam causatur de novo in corpore locato, nisi quia acquirit novum locum extrinsecum; nec respectus de praedictamento *habitum* noviter acquiritur, nisi quia subjectum illius noviter acquirit vestem, aut aliud habitum, vel aliquid consimile.

(x) possit. — possint Pr.

Et idem est de *actione*, *passione*, et aliis. In omnibus enim talibus, universaliter verum est quod ad novitatem talium concurrit aliqua novitas alicujus absoluti, quod, vel noviter incipit aut desinit, vel noviter applicatur alieni cui non prius applicabatur, vel cessat applicari ei eni prius applicabatur, saltem terminus absolutus fundamento absolute, et econtra. Et pro hac solutione facit sanctus Thomas, 2. *Sentent.*, dist. 4, q. 4, art. 5, ubi arguit sic, octavo loco: « Impossibile est novam relationem esse inter aliqua, nisi aliqua mutatione facta circa alterum eorum; sicut in aequalitate; non enim aliqua fiunt aequalia de novo, nisi altero extremorum augmentato, vel diminuto. Sed omnis motus importat relationem moventis ad motum. Ergo impossibile est aliquem motum esse novum, nisi procedat aliqua mutatio, vel in movente, vel in moto; sicut quod unum approximatur ad alterum, vel aliquid hujusmodi. Ergo, ante omnem motum, est motus; et sic motus est ab aeterno, et mobile, et mundus. Et haec est ratio Philosophi, 8. *Physicorum* (t. c. 9). » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod novitas relationis contingit non ex mutatione moventis, sed ex mutatione mobilis (ut large mutatione sumatur pro creatione, que mutatione proprie non dicitur). Unde motum coeli precedit creationem ejus, ad minus natura; creationem autem non procedit aliqua mutatione, cum sit ex non esse simpliciter. Si tamen supponeretur quod coelum exstisset antequam moveretur, adhuc ratio non procederet. Quia intelligendum est quod est duplex relatio. Quedam est relatio absoluta, sicut in omnibus que sunt *ad aliquid* secundum esse, ut paternitas, et filiatio; et talis relatio non efficitur nova, nisi per acquisitionem illius in quo relatio fundatur. Unde, si acquiratur per motum, talis relatio sequitur motum; sicut similitudo unius ad alterum, sequitur alterationem in qualitate supra quam fundatur relatio. Si autem acquiritur per creationem, sequitur creationem; sicut similitudo creature ad Deum, fundata super bonitatem que per creationem acquiritur, per quam creatura Deo assimilatur. Quedam autem relativa sunt, que simul important relationem et fundamentum relationis. Novitas autem talium relationum exigit acquisitionem illius rei que significatur per nomen; sicut ipsius habitus qui est scientia. Et similiter est de relatione quam importat nomen motus, que efficitur nova per acquisitionem ipsius motus a movente in mobili. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod novitas relationis semper requirit novitatem circa absoluta, qualiscumque sit illa novitas.

Ad secundam probationem dicitur, juxta præmissa, quod agens naturale non potest noviter agere in suum passum, nisi concurreat aliquid trium que enumerat arguens. Sed totus processus ulterior nihil valet: quia, licet nova habitudo agentis ad

passum possit contingere sine novitate formæ absolute in ipso agente vel passo, non tamen sine novitate eujuslibet absoluti circa agens vel passum, puta loci, vel habitus, vel alicujus extrinseci; et ideo in argumento committitur fallacia consequentis, arguendo negative ab inferiori ad superiorius.

Ad tertiam probationem, que sumitur ex experimento, dicitur quod amotio impedimenti inter agens et passum non potest fieri sine aliqua innovatione circa absoluta; et consequenter, nec nova habitudo, nec actio inter illa.

Ad quartam probationem, que sumitur ex dictis Philosophi, patet per praedicta: quia nec novum ubi, nec motus ad ubi posset contingere, nisi mobile et corpus ubicatum, ultra illum respectum, acquireret extrinseco novum absolutum, puta locum. Et sic patet antecedens principale hujus tertii argumenti nulliter fuisse probatum, et ejus oppositum in sua manere veritatem.

Ad quartum, negatur antecedens, et conceditur ejus oppositum. Nulla enim relatio realis, potissime de genere *ad aliquid*, potest fundari principaliter et præcise supra puram relationem, aut purum respectum, nisi radicaliter et primarie fundetur super aliquod absolutum. Ideo omnis relatio fundata pure et præcise in relatione, est respectus rationis, et non respectus realis. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 4, art. 5, in solutione dedimisexti argumenti, sic dicit: « Cum omnia alia genera, inquantum hujusmodi, ponant aliquid in rerum natura (quantitas enim, eo ipso quod quantitas, aliquid dicit), sola relatio non habet, ex hoc quod est hujusmodi, quod aliquid ponat in rerum natura; quia non praedicat aliquid, sed *ad aliquid*. Unde inveniuntur quedam relationes, quæ nihil in rerum natura ponunt, sed in ratione tantum. Quod quidem quadrupliciter contingit, ut ex dictis Philosophi et Avicenæ potest haberi. Uno modo, quando aliquid ad seipsum refertur, ut cum dicitur idem eidem idem: si enim haec relatio aliquid in rerum natura poneret additum ei quod dicitur idem, esset in infinitum procedere in relationibus; quia ipsa relatio per quam aliqua res diceretur eadem, esset eadem sibi ipsi per aliquam aliam relationem, et sic in infinitum. Secundo modo, quando ipsa relatio ad aliquid refertur: non enim potest dici quod paternitas referatur ad subjectum suum per aliquam relationem medianam; quia illa etiam media relatio indigeret alia media relatione, et sic in infinitum; unde illa relatio quæ significatur in comparatione paternitatis ad subjectum, non dicitur in rerum natura, sed in ratione tantum. Tertio, quando unum relativum dependet ab altero, et non e converso; sicut scientia dependet a scibili, et non e converso (α); unde relatio scientiae ad scibile est ali-

quid in rerum natura, non autem relatio scibilis ad scientiam, sed in ratione tantum. Quarto, quando ens comparatur ad non ens; ut cum dicimus quod nos sumus priores his qui futuri sunt post nos; alias sequeretur quod possent esse infinitæ relationes in eodem, si generatio in infinitum protendetur in futurum. » — Haec ille. — Similia ponit, 1. *Sentent.*, dist. 26, q. 2, art. 1; *de Potentia Dei*, q. 7, art. 11. Item, 1 p., q. 42, art. 1, in solutione quarti, sic dicit: « Idem ad seipsum non refertur aliqua relatione reali. Neque iterum una relatio refertur ad alteram per aliquam relationem. Cum enim dicimus quod paternitas opponitur filiationi; oppositio non est relatio media inter paternitatem et filiationem; quia utroque modo relatio multiplicatur in infinitum. » — Haec ille.

Tunc ad primam probationem illius antecedentis negati, dicitur quod proportionalitas, et quaecumque alia habitudo inter duas proportiones, vel habitudines, aut relationes, non est relatio nec respectus realis, sed rationis tantum; et, per consequens, non est aliquid realiter distinctum ab extremis, ut patet ex dictis.

Ad secundam probationem de relatione signi fundata in charactere, etc., — dicitur, juxta praedicta, quod, si relatio, vel respectus importatus nomine signi, fundetur in sola pura relatione, ille respectus non erit realis, sed tantummodo rationis. Tale autem ens rationis, cum nihil sit in rerum natura, non potest dici immediatus effectus sacramentorum novae legis. — Dicitur ulterius, quod, sicut paternitas non potest intelligi nec videri *ex se*, sed *ex fundamento et termino*; ita nec potest *ex se* ducere in cognitionem alterius, nec esse signum, nisi ratione fundamenti et termini.

Ad aliud quod dicitur, de relatione configurationis vel obligationis, etc., — dicitur primo, quod relatio configurationis oportet quod fundetur in aliqua forma absoluta, ut dictum fuit in probatione primæ conclusionis. Unde configuratio talis attenditur in hoc quod character est quedam participatio sacerdotii Christi, ut dicit sanctus Thomas, 3 p., q. 63, art. 3, ubi sic dicit: « Character proprius est signaculum quoddam quo aliquid insignitur, ut ordinatum (α) in aliquem finem: sicut charactere insignitur denarius, ad usum commutativum; et milites charactere insigniuntur, quasi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur. Primo quidem, et principaliter, ad fruitionem gloriae (β); et ad hoc insigniuntur signaculo gratiae, secundum illud Ezech. 9 (v. 4): *Signa Thau super frontes virorum gementium et dolentium*; et, Apoc. 7 (v. 3): *Nolite nocere terra et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri*.

(α) *ordinatum*. — *ordinandi* Pr.

(β) *gloriæ*. — *gratia* Pr.

in frontibus eorum. Secundo, deputatur quisque fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea quae pertinent ad cultum Dei; et ad hoc proprie deputatur character sacramentalis. Tofus autem ritus christianæ religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est quod character sacramentalis est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quedam participationes sacerdotii Christi ab ipso derivatae. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione secundi argumenti, sic dicit: « Character sacramentalis est res respectu sacramenti exterioris, et est sacramentum respectu ultimi effectus. Et ideo duplicitate potest aliquid characteri attribui. Uno modo, sub ratione sacramenti; et hoc modo est signum invisibilis gratiae, quæ in sacramento confertur. Alio modo, secundum rationem characteris; et hoc modo est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas ejus ad quem aliquis deputatur; sicut milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo dueis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum christianum, cuius auctor (α) est Christus, characterem, quo Christo configurantur, accipiunt. Unde proprie est character Christi. » — Hæc ille. — Dicitur secundo: quidquid sit de relatione obligationis, utrum fundetur in aliquo absoluto praesenti vel praeterito, puta consensu voluntatis ad serviendum vel aliquid agendum, et utrum per relationem rationis aliquis dici possit realiter obligatus, tamen hoc non est ad nostrum propositum; quia non legi quod sanctus Thomas ullibi ponat characterem esse signum tantummodo obligationis, vel esse relationem obligationis, aut fundativum talis relationis.

Ad aliud quod adducitur ibidem, de processu in infinitum in realibus relationibus, etc., — dicitur quod similitudo ibidem adducta, de subjecto accidentis et de fundamento relationis, non valet. Cujus ratio est: quia nullum accidens per se aut proprie dicitur esse subjectum alterius accidentis, sed solum ratione substantiae cui inheret, naturaliter loquendo; et ideo, quia aliquod accidens immediatus inheret substantiae quam aliud, ideo rationabile est quod unum accidens possit subjici, et aliud non. Secus est de fundamento relationis: quia accidens quod ponitur fundare relationem, non fundat eam ratione sui subjecti, sed secundum se; et ideo, si aliqua relatio realis fundet aliam relationem realem, vel de praedicamento *ad aliquid*, non videtur aliqui relationi reali repugnare, ex natura sui generis, aut speciei, fundare aliam relationem; et hoc ejusdem generis; quia forte non appetet aliquibus inconveniens, quod relatio realis fundet respectum realem alterius generis quam *ad aliquid*, puta respectum

ubi, aut quando. — De primo horum, scilicet quomodo unum accidens dicitur subjectum alterius, dicit sanctus Thomas, *de Virtutibus*, q. 1, art. 3: « Subjectum tripliciter comparatur ad accidens. Uno modo, sicut præbens ei sustentamentum: nam accidens per se non subsistit, fulcit vero per subjectum. Alio modo, sicut potentia ad actum: nam subjectum accidenti subjicitur, sicut quedam potentia actui; unde et accidens forma dicitur. Tertio modo, sicut causa ad effectum: nam principia subjecti sunt principia per se accidentis. Quantum ergo ad primum, unum accidens subjectum alterius esse non potest: nam, cum nullum accidens per se subsistat, non potest alteri sustentamentum præbere; nisi fortasse dicatur quod, in quantum est a subjecto sustentatum, unum accidens aliud sustentat. Sed quantum ad alia duo, unum accidens se habet ad aliud per modum subjecti: nam unum accidens est in potentia ad aliud, sicut diaphanum ad lucem, et superficies ad colorem; unum etiam accidens potest esse causa alterius, ut humor saporis. Et per hunc modum dicitur unum accidens alterius accidentis esse subjectum: non quod unum accidens possit alteri sustentamentum præbere; sed quia subjectum est receptivum unius accidentis, mediante altero. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod nullum accidens est principale subjectum alterius, nec secundum se, sed ratione substantiae. Secus est de fundamento relationis: quia ad hoc nihil facit subjectum. — Quod autem relatio possit fundare respectum alterius generis, legitur in quodam tractatu *de Relationibus*, qui attribuitur sancto Thomæ, ubi sic habetur: « Ista quatuor prædicamenta, scilicet *quando, ubi, positio, et habitus*, relationes quedam sunt, sed alteriusmodi quam ea que sunt in prædicamento relationis; propter quod diversa genera constituunt ab invicem et a relativis, et non sunt in prædicamento relationis. Quod autem relationes sint, non aliter ostendo quam per eorum definitiones, que ultro se offerunt. Quod autem alterius modi quam ea que sunt in prædicamento relationis, patet: quia genus respectivorum et aliorum quinque generum cadunt in spiritualibus, citra Deum (α), et in corporalibus, et (β) in naturalibus, et que circa naturam sunt (dico citra Deum; quia, etsi relationes in Deo cadant, non tamen accidens); sed alia quatuor genera in solis naturalibus et corporalibus accidunt, quia causantur ex adjacencia temporis et loci, aut alicius localiter continentis, locus autem et tempus non sunt nisi in naturalibus et corporalibus. Item: genus relativorum continet relativa fundata super res quinque generum absolutas suo modo immediate; alia vero quatuor genera sunt relationes, et sunt fun-

(α) *auctor.* — *actor* Pr.

(β) *citra Deum.* — *Omn. Pr.*

(β) *in corporalibus, et.* — *corporalibus* Pr.

data super relationes; et ideo quodammodo minus sunt quam relativa, quia magis remota sunt ab esse absoluto. Cum ergo corporalia sint in tempore, et in eo quod localiter continet sensibili circumscriptione, utrobique esse in respectus quidam est, et relatio, per quam hoc continet illud quod continetur. Super hanc autem relationem, per adjacentiam temporis ad temporalia, relinquitur quando in re temporali corporali. Unde mihi videtur quod quando super hujusmodi relationem fundatur. Et hoc testatur sua dissimilitudo, quae est quod quando est quod ex adjacentia temporis relinquitur: haec enim adjacentia temporis non est nisi aliquid temporale, quod in tempore est. Super illam autem relationem continentiae, per adjacentiam loci ad corporalia, causantur cetera genera; et hoc penes continere est contineri. Penes enim adjacentiam loci ad corpus totale, secundum quod ille continet et illud continetur, causatur in corpore contento *ubi*. Unde *ubi* radicatur super continentiam passivam, testante sua dissimilitudine, quae est quod *ubi* est circumscriptio corporis, ex loci circumscriptione procedens. Penes adjacentiam autem loci ad corporis partes, et partium ad invicem ordinationem, et respectu loci, causatur *positio*, secundum suam dissimilitudinem, quae est quod *positio* est quidam situs partium, etc. Unde *positio* radicatur super continentiam passivam partium. Penes autem adjacentiam corporis ad illud quod continet ipsum, vel e converso, secundum quod contentum dicitur habere, et continens haberi, derelinquitur *habitus* in continente. Unde, secundum Commentatorem, *Super 5. Metaphysicae*, *ubi* et *habitus* sic differunt, quod respectus ille quo continens dicitur habere contentum, facit *ubi*, prout scyphus dicitur habere aquam, et civitas homines, et omnino locus locatum; conversus autem respectus, scilicet prout contentum dicitur habere continens, facit praedicamentum *habitus*, ut animal habet cutem, et homo vestem. Unde *habitatus* fundatur super relationem continentiae activae, *ubi* super relationem continentiae passivae. » — Haec ille, — Ex quibus patet quod relatio potest fundare respectum realem, qui non est de praedicamento *ad aliquid*; sed nulla relatio potest per se fundare relationem de praedicamento *ad aliquid* realem. Cum ergo relationes importante nomine characteris, vel signi, sint de praedicamento *ad aliquid*, constat quod non possunt fundari de per se in sola et pura relatione. Unde, breviter: similitudo arguentis magis est ad oppositum quam ad propositum; quia, sicut nullum accidens secundum se est principale subjectum alterius accidentis, sic, si similitudo valeat, nulla relatio potest esse fundamentum principale alterius relationis realis. — Verumtamen, utrum illa que sunt ultimo allegata, de illo tractatu, sint de mente sancti Thomae, non est multum curandum, nec illis innitendum; quia priora sufficiunt.

ciunt pro responsione ad dicta Scoti, scilicet quod respectus characteris requirit pro fundamento aliquid absolutum, cum sit de genere *ad aliquid*.

Ad quintum principale, negatur antecedens: nam non baptizatus nullum sacramentum nec effectum sacramenti recipere potest a sacramento; licet forte aliunde reciperet effectum sacramenti sine sacramento, a Deo. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 72, art. 6, sic dicit: « Character confirmationis ex necessitate supponit characterem baptismalem, ita etiam quod, si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed opereretur ipsum iterato confirmari post baptismum. Cujus ratio est: quia sic se habet confirmatio ad baptismum, sicut augmentum ad generationem; manifestum est autem quod nullus potest promoveri in etate perfectam, nisi primo fuerit natus; et similiter, nisi aliquis primo fuerit baptizatus, non potest sacramentum confirmationis accipere. » — Haec ille. — Item, ibidem, arguit sic, primo loco: « Sacramentum confirmationis ordinatur ad confitendum publice fidem Christi. Sed multi, etiam ante baptismum, fidem Christi publice confessi sunt, sanguinem fundentes pro fide. Ergo character confirmationis non presupponit characterem baptismalem. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod virtus divina non est alligata sacramentis. Unde potest conferre homini spirituale robur, ad confitendum publice fidem Christi, absque sacramento confirmationis; sicut etiam potest consequi remissionem peccatorum sine baptismō. Tamen, sicut nullus consequitur effectum baptismi sine voto baptismi, ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius; quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi. » — Haec ille. — Item, in solutione tertii, sic dicit: « Audientes predicationem Petri acceperunt effectum confirmationis miraculose, non tamen sacramentum confirmationis. Dicendum est autem (ibid., art. 2, ad 1^{um}, et art. 4, ad 1^{um}) quod effectus confirmationis potest alicui conferri ante baptismum, non autem sacramentum confirmationis. Sicut enim effectus confirmationis, qui (z) est robur spirituale, presupponit effectum baptismi, qui est justificatio; ita sacramentum confirmationis presupponit sacramentum baptismi. » — Haec ille. — Similia dicit, 4. *Sentent.*, dist. 7, q. 2, art. 4, q^{ta} 3, ubi sic dicit: « Nihil potest percipere actionem aut proprietatem alicuius naturae, nisi prius habeat subsistentiam in illa natura. Unde, cum per baptismum, qui est spiritualis generatio, homo acquirat subsistentiam in vita spirituali christiana religionis, non potest non baptizatus aliquid eorum que ad hanc spirituale vitam pertinent percipere. Et ideo non potest accipere characterem confirmationis. Et hanc causam

(z) qui. — que Pr.

assignat Dionysius, 2 cap. *Ecclesiastice Hierarchie*. » — Haec ille. — Item, ibidem, adducit dictum Dionysii, ubi supra, dicentis : Nihil divinitus traditorum operari potest, qui non est regeneratus per baptismum (a).

Dicitur secundo, quod non baptizatus potest quidem baptizare, sed non ex officio. De hoc Petrus de Palude, secunda questione hujus distinctionis, sic dicit : « Non est aliquis character, qui sit potentia baptizandi absolute, nec active, nec passive; licet aliquis sit potentia baptizandi ex officio, non tamen passive; sed eo ipso quod aliquis est voluntarius vere, vel interpretatus, potest baptizare et baptizari, eo quod character non est principium omnis actionis hierarchice simpliciter exercendae, sed alicuius simpliciter, et alicuius ex officio. Unde character sacerdotalis, et episcopaloris, est principium simpliciter conficiendi et ordinandi; et character baptismalis, est simpliciter principium alia sacramenta suscipiendi. Unde qui caret istis characteribus, nihil horum facere aut recipere potest; quia caret principio operativo. Sed character aliorum ordinum est principium operandi ex officio; et character confirmationis, confitendi ex officio; et character sacerdotalis, baptizandi ex officio. Nullus autem character est principium baptizandi active, vel passive, simpliciter loquendo. Et ideo hos actus potest quidem homo exercere sine omni charactere, sed non ex officio. » — Haec Petrus. — Et conformatur sancto Thomæ, 3 p., ubi supra (q. 72). Dicit enim, art. 5, in solutione secundi : « Omnia sacramenta sunt quedam fidei protestationes. Sicut ergo baptizatus accepit potestatem spiritualem ad protestandum fidem per susceptionem aliorum sacramentorum, ita confirmatus accepit potestatem publice fidem Christi verbis profiteri, quasi ex officio. » — Haec ille. — Item, septima distinctione quarti, q. 2, art. 1, q^{ta} 3, in solutione primi, sic dicit : « Ad ea que sunt necessitatis, homo admittitur, etiam si illud non competit sibi ex officio; sicut patet quod etiam non habens ordinem, in casu necessitatis, baptizare potest licite, quamvis hoc non competit sibi ex officio. Similiter, quia confiteri nomen Christi, ubi confessio exquiritur, est necessitatis, ideo etiam non baptizatis hoc competit, quamvis hoc non habeant ex officio characteris. » — Haec ille. — Ex quibus omnibus patet quod arguens false putat quod confirmans nihil causet in anima confirmati, sed solum corpus ejus exteriorius ingerat; vel quod sacramentum baptismi consistat in sola unctione exteriori, et sacramentum confirmationis in

sola unctione, non ponendo aliquid interius, quod sit res et sacramentum, puta character et ornatus. Item, falsum est quod quidquid potest active baptizatus, possit non baptizatus : quia nullus non baptizatus potest confidere, aut confirmare, aut ordines conferre; quia potestas episcopalis et character sacerdotalis necessario presupponunt characterem baptismi.

Ad illud vero quod adducit de potestate ministeriali, dicitur quod potestas ministerialis ministri dispensantis sacramenta non potest esse pura relatio realis, vel rationis : tum quia nulla relatio potest esse principium actionis; tum quia relatio realis requirit reale fundamentum; tum quia non advenit noviter, nisi facta innovatione circa absoluta; tum quia talis respectiva potentia non potest immediate fundari in essentia anime; ut superius ostensum est (ad tertium et ad quartum) : relatio enim supernaturalis, vel gratuita, requirit fundamentum supernaturale, vel gratuitum, absolutum, et non pura naturalia.

Cum autem dicit arguens, quod, secundum nos, potestas episcopalis non est forma absoluta, et quod episcopatus non est ordo ultra sacerdotium, etc.; — dico quod neutrum dicit sanctus Thomas. Quod patet : nam, 4. *Sententia*, dist. 24, q. 3, art. 2, q^{ta} 2, determinat quod episcopatus est ordo, et aliis a simplici sacerdotio, licet non sit aliud sacramentum ab illo. Unde, ibidem, sic dicit : « Ordo potest diei dupliciter. Uno modo, secundum quod est sacramentum; et sic omnis ordo ordinatur ad Eucharistie sacramentum; unde, cum episcopus non habeat potestatem superiorum sacerdotem, quantum ad hoc, episcopatus non erit ordo. Alio modo, potest considerari ordo secundum quod est quoddam officium respectu quarundam (a) actionum sacramentorum; et sic, cum episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, episcopatus est ordo. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit : « Ordo, prout est sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad sacramentum Eucharistie, in quo ipse Christus continetur; quia per characterem ipsi Christo configuramur. Et ideo, licet detur aliqua potestas spiritualis episcopo in sui promotione, respectu aliquorum sacramentorum; non tamen illa potestas habet rationem characteris. Et, propter hoc, episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est quoddam sacramentum. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit : « Potestas episcopalis non est tantum jurisdictionis, sed etiam ordinis, ut ordo communiter accipitur. » — Haec ille. — Ex quibus apparet quod licet ordo episcopalis non imprimat characterem, tamen imprimat spiritualem potestatem, quae est principium alium.

(a) *quarundam*. — *quaruncumque* Pr.

(a) Verba Dionysii, juxta translationem P. Balthasaris Gordeii, sunt : *Cum enim divinus hic status sit quedam nuntiatio divina, nunquam sane intelleserit quem fecerit, quidquam rerum divinitus tradidit, cui ne ipse quidem status hic divinitus afflatus sit.* Cfr. Migne, Patrol. græc., tom. 3, pag. 391.

quarum actionum hierarchicarum; et consequenter, secundum mentem sancti Thomae, illa potestas non est relatio rationis, nec realis, sed forma absoluta.

Ulterius, cum dicit arguens, quod habenti talēm relationem rationis Deus assistit, etc.; — dicitur quod Deus assistit episcopo in actu confirmandi et ordinandi, non quidem tanquam nihil agenti, vel cause *sine qua non*, immo sicut agens principale agenti instrumentalī. Et ideo oportet quod potentia episcopi sit forma absoluta.

Quod autem dicit arguens, de potestate jurisdictionis, — non valet: quia non est simile de potestate judicis et de potestate episcopalī ordinis, ut postea videbitur.

Quod ulterius dicitur, de filiatione reali, quod potest dici potentia, — non valet: quia filatio non est principium realis actionis, sicut character sacramentalis, et potestas ordinis episcopalī. Unde omnia ista fundantur in falso, scilicet quod minister sacramentorum nihil agat in anima recipientis sacramentum, sed solus Deus. Ulterius, falsum est quod potestas ordinati et confirmati non sit ad aliquid spirituale agendum, sed ad solas actiones sensibiles exteriores. Ulterius, falsum est quod anima baptizati nihil possit absolute recipere, quod non possit recipere anima non baptizati.

Unde contra totam deductionem hujus quinti argumenti facit bene Petrus de Palude, secunda quaestione hujus presentis distinctionis, ubi sic dicit. « Character est potentia, et res absoluta. Quod probatur. Quia illud per quod potest aliquis in effectu realem, active vel passivo, per amitterentiam ad bene et male, est res vera et absoluta, et potentia proprie dicta: quia potentia activa, est principium transmutandi aliud, in quantum aliud; et potentia passiva, est principium transmutandi ab altero, in quantum alterum; et istud non est ens rationis, nec relatio, sed absolutum. Sed character est hujusmodi. Ergo, etc. Major proposita est. Minor postea probabitur. Sed prius removetur tres instantiae contra majorem et conclusionem. — *Prima* est: Quia, si dicatur quod, cum in matrimonio non sit aliqua res que dicatur vinculum, quia sanctus Thomas dicit quod essentialiter est relatio; tali ratione, effectus aliorum sacramentorum, scilicet ornatus, character, et hujusmodi, est aliqua relatio, et non aliqua res absoluta. — Dicendum quod matrimonium, prout est quid humanum, est pura relatio rationis; sed prout est quid divinum, ex eo causatur aliquod reale, quod est ens absolutum, quod tamen concomitantur relatio. Sed forte est in virtute organica; unde in morte tollitur, aliter inanergi indelebiliter ac character. Sed de hoc plenus directus dist. 26. — *Seconda instantia* est: Quia videtur quod posse et non posse sacramenta dare vel suscipere, non arguit diversitatem realem in principio; quia per cognitionem spiritualem, et publice hone-

statis justitiam, quo sunt de jure positivo humano, dirimitur matrimonium: ita quod non potest hujusmodi sacramentum matrimonii suscipere, qui habet illud impedimentum; qui vero non habet, potest illud suscipere, et quasi dare, quia essentiam matrimonii sibi mutuo dant contrahentes, non (*α*) eam a sacerdote suscipiunt. — Sed forte hoc est quia illud divinum reale, quod ibi est, presupponit privationem hujus impedimenti, in quantum matrimonium est quidam contractus qui subest ordinationi principum et prelatorum; non quod ens reale fundetur in fundamento rationis, sed in ipsa potentia vel essentia naturali; licet in via generationis, ex divina institutione vel ordinatione, aliud presupponat, quod non est nisi ens rationis vel ejus privatio.

— *Tertia instantia* est. Quia, si dicatur: sicut sacerdos potest ligare et absolvere et confidere, et episcopus ordinare, quod non potest non episcopus, et non sacerdos; ita judex potest ligare et absolvere in foro exteriori, quod non potest non judex, quia a non suo judice lata sententia non tenet. Nec tamen potestas judicaria propter hoc ponit aliquid reale in judice; nec habere claves iurisdictionis est nisi purus respectus rationis. Ergo, a simili, nec habere claves ordinis, et hujusmodi, ponunt aliquid reale in homine. — Hoc non valet. Quia illae claves non habent realem effectum, integras, sicut istae habent. Et Papa (*6*) potest illas pro libilo voluntatis auferre, non istas; quia potest facere de judge non judicem, non autem de sacerdote non sacerdotem. Et, propter hoc, videtur aliquid divinum indeleibile in isto, quod non in illo. — Tunc probatur minor principalis. Quia sacerdos potest confidere et absolvere; quod prius non poterat; et episcopus confirmare et ordinare, quod prius non poterat. Ergo sequitur conclusio, quod nihil potest quod prius non poterat; nisi habeat aliquid esse reale, quod prius non habebat. Unde instrumentum potest hoc quod prius non poterat, quia realiter movetur, cum prius non moveretur. Et calor animae participat esse animae, quod prius non habebat; et sic agit quod prius non poterat. Unde non dicimus quod sacerdos non possit celebrare in calice non consecrato, et in altari et vestibus non consecratis, sed solum quod non debet; quia scilicet potest. Sed de illo qui characterem sacerdotalem non habet, non solum sicutimus quod non debet, sed, cum hoc, quod non potest consecrare; qui tamen, postquam habet characterem, potest quod non poterat prius. Similiter episcopus, post consecrationem, potest et dicitur conferre ordinis; quod prius non poterat. Si autem sola relatio rationis fieret, sicut per consecrationem rerum inanimatarum, tunc idem esset sicut de illis. — Præterea, si directe et perfecte non potest in effectum

(*α*) *enim.* Ad. Pr.

(*6*) *Papa.* — propterea Pr.

realem in quem prius non poterat, sicut dicunt quidam, tunc mentitur sacerdos, dicens: *Ego absolve te, vel Baptizo te;* sed debet dicere: *Ego aspergo te corporaliter, et Christus baptizat te spiritualliter.* Si ergo vere absolvit, et vere ordinat, et vere confirmat, et non alius, ergo vere habet potestatem faciendi; quia cuius est actus, ejus est potentia. Ergo idem quod prius. — Praeterea: sicut differunt re absoluta potens baptizare et non potens baptizare, per se, sicut homo et non homo; ita differunt re absoluta potens absolvere et non potens, potens ordinare et non potens, id est, sacerdos et non sacerdos, episcopus et non episcopus. — Item, si non est plus in marito quam in sposo, quare non potest Papa dispensare in matrimonio sicut in sponsalibus? Et sicut Papa potest facere quod eadix non sit sacer post consecrationem, quia omne quod est per solam ordinationem Ecclesie potest amovere; quare non potest similiter facere quod sacerdos sit non sacerdos, non appareat. — Item, quare sacramentum Eucharistiae habet realem effectum (quia realiter desinit ibi esse substantia panis et vini, et realiter transsubstantiatur) praeter effectum gratiae, qui est in usu, non in essentia sacramenti, sed alia sacramenta non habent aliquem realem effectum praeter gratiam, non appareat. — Nec valet quod alii dicunt, quod nec in sacramento nec in ministro est virtus subjective, et sic non est principium effectus realis. Quia ex quo actio et effectus utrique attribuitur effectiva (quia sacramentum dicitur purgare, illustrare, perficere; quia sacramentum dicitur a sacerando active; et minister dicitur solvere et ligare, et sibi dicuntur dari claves regni coelorum), ita quod (x) non solvi nec ligari possit quis (6), nisi prout ipse solverit et ligaverit, ergo in sacramento et ministro est potestas activa, cum sit ibi actus, alias nullus a Deo in celis nec solvit nec ligatur. Verum est tamen quod sunt aliqua sacramenta, in quibus nulla virtus spiritualis est in ministris, sed tota in sacramento, et sacramentum est totum sanctificativum (y), praeter Deum; minister autem non est nisi sicut causa *sine qua non*, sive applicans; propter quod in ipso non requiritur aliquid supra naturam. Et hoc est in baptismate, ex parte ministrantis; et etiam in sacramento matrimonii, ex parte utriusque, quia uterque est datus et recipiens. Nec requiritur dispositio sacramentalis ad recipiendum hoc sacramentum, cum apud non baptizatos sit verum matrimonium; nisi quis diceret probabiliter, quod ante baptismum est verum matrimonium, sed illud non est sacramentum (quia baptismus est janua omnium sacramentorum novae legis); sed solum est tale sacramentum quale erat tempore legis nature vel

legis scriptae. In omnibus autem aliis sacramentis, ex parte suscipientis potestas passiva supernaturalis requiritur, quae character baptismalis dicitur; alias, si sola relatio rationis per ea daretur, non video quare ante baptismum talia non possint recipi. In aliis autem quinque sacramentis, ex parte conferentis, vel facientis id ad quod sequitur, essentia sacramenti, requiritur in ministro potestas alia ab illa que est in verbis et materia; et in ipso est principalior virtus quam in essentia sacramenti; alias, sicut non sacerdos et non baptizatus potest baptizare et matrimonium dare vel suscipere, sic non episcopus posset ordinare et confirmare, et non sacerdos confidere, intungere et absolvere, dum tamen diceret verba, et haberet materiam, si in ministro non plus requiritur hie quam ibi; quod nullus catholicus diceret; immo error esset, quod non sacerdos factus (z) possit confidere sicut sacerdos. Item, in charactere baptismali est potentia transmutandi ab alio, id est, recipiendi sacramenta, quibus realiter transmutatur per dispositionem realem: quia, secundum cursum naturae, Deus non dat gratiam nisi soli preparato et disposito, nec tali negat; unde, cum, secundum communem cursum, Deus dat gratiam parvulo post baptismum, et non ante, et in parvulo non est alia preparatio quam prius, pertinens ad actuum secundum, ergo est ibi alia (6) preparatio quam prius, pertinens ad actuum primum. Sed verum est quod ista ratio concluderet quod in circumcisione fuisset character, vel orna^{tus}; de quo dictum est, prima distinctione. Item, in adulto semper est aliqua dispositio per se requisita ad hoc quod gratiam recipiat; sed in suscipiente actu baptismum, non requiritur per se devotione, sed solum per accidens; ergo alia est ibi dispositio; sed hujusmodi non est illud quod exterius geritur; ergo aliquid interior fit, quod est immediata dispositio ad illud. Item, per sacramenta que imprimunt characterem, homo, recedente fictione, consequitur gratiam quam a principio consequens fuisset; ergo videatur quod quedam dispositio ad gratiam impressa fuit per modum habitus immanentis, et non transmittis. — Nec valet, si dicatur quod per characterem homo non potest in aliquem effectum, in quem prius non posset, nisi sicut per causam *sine qua non*; quia causa que pure est *sine qua non* nunquam attribuitur effectus; Verbi gratia: nunquam dicitur quod merellus (7) det prandium, sed ille a quo est merellus (8). Nec dicimus quod sacramenta veteris legis darent gratiam; et tamen erant causa *sine qua non* ita bene sicut sacramenta novae legis; et plus illa que tunc erant necessitatis, quam illa quae nunc voluntatis, licet secum per se requirent

(x) *factus.* — *sanctus* Pr.

(y) *potest quis.* — Om. Pr.

(z) *sanctificativum.* — *sanctificatum* Pr.

opus operans. Ex quo apparet quod claves jurisdictionis non sunt res vera, sicut claves ordinis: quia ad illas non sequitur nisi effectus rationis, sicut esse excommunicatum, vel esse absolutum a vinculo exteriori; et quod non est particeps suffragiorum Ecclesiae, hoc non est ex virtute excommunicationis, sed ex divina pactione, quia humana ordinatio nil reale causat; sed secus est de clavibus ordinis, in quibus divina ordinatio operatur. — Sed contra hoc arguitur sic: Illud non potest in operationem, in quo non est principium operationis; alioquin ageret quod non posset. Sed aliquis in quo non est character, potest in operationem divinam, ut nunc loquimur: Judaeus enim, vel Gentilis, in quo nullus est character, potest baptizare; quod est opus divinum. Ergo character impressus ex sacramento, non est principium talium operationum. — Dicendum quod non est aliquis character, qui sit potentia baptizandi absolute, nec active, nec passive, etc., » ut supra recitatum est (z). Hec omnia dicta Petri bene sunt consona sancto Thomae et veritati.

Et haec sufficient ad objecta Scotti contra primam conclusionem. Patet enim quod sola relatio rationis, sine novo fundamento absoluto, non sufficit ad salvandum activitatem quam Sancti et determinatio Ecclesie attribuunt sacramentis et eorum ministris; et, per consequens, character non potest ponи sola relatio, sed oportet quod sit forma absoluta.

Sed dubium est in dictis Petri. Videtur enim contradicere sibiipsi. Nam, ex una parte, dicit quod minister baptismi nullam habet virtutem supernaturalem ad aliquem effectum causandum in anima, sed solum est causa *sine qua non*; ex alia vero parte, dicit quod, si sacerdos non potest directe et perfecte in realem effectum, in quem prius non poterat, tunc mentitur dicens, *Ego te baptizo*, sed debet dicere, *Ego te aspergo, et Christus te baptizat interiorius*. Et sic videtur asserere quod minister baptismi aliiquid operatur interiori; et consequenter, quod in ipso sit ponenda virtus spiritualis, et non solum in sacerdote, immo in quocumque ministrante baptismum, alias quilibet talis mentiretur dicendo, *Ego te baptizo*. — Dicitur quod, secundum veritatem, illud argumentum Petri bene concludit de ministro Eucharistiae et poenitentiae. Quia ministris Eucharistiae dixit Christus, *Hoc quotiescumque feceritis*, etc., et, *Hoc facite in meam commemorationem*, et similia, in quibus asserit ministrum aliiquid spirituale facere et consecrare. Similiter, ministris poenitentiae dicit, *Quodecumque ligaveritis*, etc. Unde minister mentiretur, si nihil ageret in anima, cum dicit, *Ego te absolvō*; et Christus falsum dixisset, dicens, *Hoc facite*, si minister non facit aliiquid in transubstantiatione et conversione

panis in corpus Christi. Sed argumentum illud nihil concludit de ministro baptismi: quia, concessum quod nihil spirituale agat in anima baptizati, non sequitur quod mentiatur, dicendo, *Ego te baptizo*. Quia baptizare quandoque sumitur pro exterius abluerere; nam et ipsa exterior ablution dicitur baptismus, ut ostendit sanctus Thomas, 3 p.; q. 66, art. 1; constat autem quod talem ablutionem facit minister. Quandoque autem sumitur baptizare pro causare rem proximam vel ultimam baptismi, scilicet characterem, vel gratiam; et isto modo solus Christus, vel sacramentum exterius, baptizat; et, si minister diceret se hoc modo baptizare, falsum diceret, et mentiretur in casu. Ideo illud secundum dictum Petri non habemus sustinere, sed tantum primum.

II. Ad argumenta Aureoli. — Ad primum Aureoli contra eamdem conclusionem, negatur minor, scilicet quod nulla potentia activa respectu consecrationis sit in sacerdote. Et ad probationem ejus, patet quid sit dicendum, ex dictis in prima questione primae distinctionis hujus quarti (z). Dicitur enim, ut prius, quod character sacerdotalis, sicut et virtus quae est in verbis consecrationis, facit ad desitionem substantie panis, modo prius exposito. Et cum arguens querit de subjecto actionis illius corruptivae; — responsum est quod nec subsistit, nec est in subjecto, quantum ad absolutum quod includit, scilicet formam, vel substantiam desinente esse; licet, quantum ad respectum quem importat, sit subjective in sacramento vel ministro. Conceditur (6) etiam quod forma que desinit, fuit in subjecto, vel quod fuit subjectum. — Nec valet quod dicit, quod agens creatum (y) requirit in quod agat. Quia, ut supra dictum est (dist. 1, q. 4, art. 3, § 3, III, ad 4^{um}), hoc est verum quantum ad terminum a quo, non autem quoad subjectum mutationis, ut dicit beatus Thomas, octava distinctione hujus, q. 2, art. 3, in solutione secundi. « *Virtus, inquit, creata presupponit materiam in qua operatur. Quod quidem contingit esse dupliciter: uno modo, ita quod sit mutationis subjectum, sicut accidit in conversionibus naturalibus; alio modo, ita quod subsit termino a quo, non autem mutationi, sicut accidit in dicta conversione.* » Sed creatione neutro modo materiam presupponit. Et ideo magis potest aliiquid cooperari Deo instrumentaliter in hac conversione, quam in opere creationis. » — Haec ille. — Cum autem arguens ulterius infert quod ista actio esset annihilativa; — dicitur quod actio potest dici annihilativa dupliciter. Primo, quia per

(z) Cfr. praesertim, in dicta questione, art. 3, § 3, III, ad 1^{um}.

(6) Conceditur. — Concedit Pr.

(y) *creatum*. — *causatum* Pr.